EPISTOLA MONITORIA AD ACADEMIAE PARISIENSIS...

Pierre Cosnier

EPISTOLA MONITORIA.

D. FRANC. HARLÆO S. Victoris ad Pariſios Abbati Commendatario,

ET

Academiæ perturbatoribus Salutem.

P. C. P. A.

DICIT Dominus, *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis: inuocabitis me & ego exaudiam vos, & reducam captiuitatem veſtram de cunctis locis.* Sic nouiſſimis Dominicarum feſtis operaturi ſacris ex Hieremiæ prophetia introibamus ad ſacrum altare. Quibus in verbis cogitanti mihi & attentiùs animo meditanti venit in

mentem agere tecum (ſi per reuerentiam tuam ita facere liceat) & te ſcripto alloqui ea libertate & eo candore qui veritatis amantes ſemper decuit plurimum, & charitatem non lædit, imò exercet potius ac opere & merito exequitur. Mœrens tamen ſcribo nec ſine graui dolore repeto tot facta perperam, ab eo tempore quò Gallia, Henrico felici & æterna memoria magno orba illius horrendum caſum luget, dictaque eſſe ſimul, inter profeſſionis tuæ homines ac conſuetudinis quotidianæ, quæ profectò è re Chriſtiana magis fuiſſet nunquam contigiſſe. Atque vtinam motus iſti animorum breui ſubſidant, inutileſque controuerſiæ minimè recrudeſcant libris quos audimus eſſe ſub prælo hîc vel

alibi edendos. Longè præſtiterit, vt nos ea dilectione, qua *ſic Deus dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret*, mutuo conſpirantes in inuicem amore, operibus non ſegnius quàm verbis, Chriſtianos eſſe probemus, & *quod ſumus profeßione*, vt loquitur S. Ambroſius, *actione potius quàm nomine demonſtremus, ne ſit nomen inane & crimen immane.* Sed ad rem. Scis optimè diſſentiones Academiæ, & quantis inſultibus per iniuriam pulſata ſit; decoloratam Theologicæ facultatis faciem per diſſeminatam factioſè inter Doctores diſcordiam; ſeditiones etiam paſſim & ad infimum vſque ordinem inter literarum ſtudioſos iuuenes, concitatas. Harum rerum omnium maxima pars tu fuiſſe diceris;

cùm nouæ & tam ſpecioſa ſocietatis appellatione hominibus plus nimio addictus, atque in gratiam conſilij ab Auditore D. Nuncij Apoſtolici homine Gallicis rebus parum æquo minimeque fauente propoſiti, hos illoſque Magiſtros ſolicitare, agere, perturbare precibus, præmiis, minis obiectis, denique permiſcere cœperis omnia: quod etiam ipſe Auditor per ſe fecit multa inſolentia & nunquam audita poſtulans domeſticatim Richerij ſacræ facultatis Theolog. Syndici damnationem ſimul & abdicationem. Vnde factum vt qui inter ſe antea mirifico conſenſu conuenirent, ſeſeque ſumma animorum conſenſione conplecterentur & defenderent, per te & illum contempta omni cha-

ritate, in diuerſas abierint partes prô dolor! & ab eo tempore ſciſſi eſſe videantur magno Gallici nominis dedecore ac ſcandalo. Mirabéris forſam & quæres à quo, vnde & quorſum hæc ad te perſcribantur, Doctorem tantâ nobilitate, qui per nimiam adblandientis tibi aulicæ auræ potentiam, omnia ſurſum deorſumque verteris. Verùm reſpondet ignobilis quidam titulo & nomine preſbyter, timens Deo minus obediri quàm hominibus, auitâ maiorum ſuorum fide Catholicâ & Romanâ: idque ab eadem vrbe & antiquiſſima omnium Academia, in qua tu anteſignanus cum aliis tuæ potentiæ clypeo tectis & obductis, facem diſcordiæ immiſiſti: reſpondet, inquam, preſbyter

tibi Abbati, & ſignificat in nomine Domini Ieſu, vt iam nunc in animum inducas compeſcere motus excitatos, & tam ſtudioſè coneris eos ſedare, quàm ſollicitè antea excitaſti: ſatis ſuperque inſana pudendaque contentione pugnatum, & in qua dubitatur an meliores ſecundum Deum, ſuperiores ſint: deinceps paci perpetuæ ſtudendum, & eos in antiquam & priſtinam reuocandos concordiam (ſublatis omnibus diſſidiis nouitatibuſque valere iuſſis) quibuſcum fortè adhuc non decenter, non tranquillè, non Chriſtianè ſatis conuenit. Hic huius ſcripti finis: pacem ſpectat, pacem ſuadet, pacem rogat ad maiorem Dei gloriam, hominumque ſalutem. Qui vulnera fecit, ea ſanet: hoc
videris

videris & tu poſſe. Ni feceris vereor ne Deus à te mala iam ſuborta, & ſiqua inde alia ſuboriantur, repetat. Eſt & quod alta mentis agitatione tecum debes reputare, nimirum multis te ingrati animi criminibus apud parentes quæ talem produxerunt, accuſandum venire, deque te meritò graues ipſis ciendas fore querelas: ſed fac eas, quæſo, reſtituta Academiæ quieti ſui ſtatus dignitate, & viris Theologis ſua cenſendi libertate, conquieſcere & obliuione ſempiterna deleri.

Alma, Pariſienſis Academia ait ſuo te gremio fouiſſe & excluſiſſe, bonis artibus & ſcientiis inſtruxiſſe & excoluiſſe, honoribus auxiſſe, Magiſtrum denique in ſacra Theologia feciſ-

ſe; vt tèneres, vt doceres, vt tuereris quæ illa à prima ſui probatiſſima inſtitutione ſemper ſumma cum laude tenuit, cum vniuerſo Chriſtiani orbis aſſenſu, plauſu, fructu docuit, & piè Catholicéque in hunc vſque diem tutata eſt: Nihilominus tu ſtudens nouis & exteris hominibus & noua inducentibus dogmata, qui ſeſe in aliorum poſſeſſionem per dolos atque per vim, auxiliis contra morem ex aula euocatis, intrudunt & inuolant, viſus es in illorum fauorem voluiſſe ipſius Academiæ fundamenta mouere, ſtatuta eius à maioribus ſanctè inſtituta olim & obſeruata immutare ac conuellere; demum aliam Pariſiis quàm ſuam Pariſienſem Academiam introducere; inque vr-

be regia ac regni principe includere ſocietatem, quæ ſaluis ſuis legibus & promulgata iam vbique doctrina Pariſienſium Doctorum doctrinæ contraria in quibuſdam magni momenti articulis, non poteſt candidè ſatis Regum & Principum iura à ſolo Deo Opt. Max. pendentia defendere, quamuis incautis ipſi hominibus contrà perſuadere nitantur. Hæc ſi prudens & ſciens feceris, quis ſine ſuſpicione alieni à noſtra Repub. animi, audebit negare, magno te in patriam tuam crimine obſtrictum, & turpiſſimam hinc ingratiſſimi Academiæ Pariſienſis alumni maculam tibi iniuri? Quaſi matri pellicem volueris inducere, vel iſti iuniori puellæ ſeniorem illam etiam ſuo ore rugoſo vene-

randam virginem, regio ſuo cedere thalamo. Ne per te tollatur aut pereat, quod per te non eſt datum nec vitam accepit. Abſit vt credam aut iſta te cogitare aut cupere. Habent qui Academici tumultus cauſa ſunt, ſat plures Spartas; eas ornent & vnicam deſinant Lutetiam tanto ambitu deperire, parem in hac re referentes gratiã quam alibi ipſi accipiunt à Pariſienſibus nulla omnino affecti moleſtia. Pro cõmuni lare qui eos fouet cõiunctis votis depugnent contra externos potius, quàm vt ſe & quoſcunque pertrahere poſſunt, alienæ ſubdant poteſtati. Pridem gloriabantur exteræ nationes ſuas erectas eſſe Academias ad Pariſienſis inſtar, ab hacque tanquam perenni fonte deductas aquas ſci-

entiarum quas ebiberent. Repetantur veteres hiſtoriæ & in ſuis authoribus ſine fuco relatæ legantur (neotericis ſcriptoribus fides non tam certa) comperietur profectò ex Gallia plures quam ex alia quauis regione viros & in orthodoxa fide defendenda prodijſſe celebres ac fortes: maximè verò ex Academia Pariſ. ab eo tempore quo Scolas haberi publicas in orbe Latino cœptum eſt, qui cùm ſancta eorum memoria ſuperſtite, tum extantibus ſingularis doctrinæ monumentis adhuc viuant, doceantque mortui quonam cuique modo ſit viuendum & quid ſit de rebus ad ſalutem pertinentibus procul omni errore ſentiendum; adeo vt ſi illorum noſtratiumque Gerſonis, Maioris, Almaini, Epen-

cæi, Xanteſij, Vigoris, Genebrardi, aliorumque recentiorum (vt antiquos prætercam) libris contenti eſſemus, externorum facilè careremus. Quid lugendis ſciſmatum temporibus, cùm Roma ipſa, Romani, Itali penè omnes, veros Pontifices ſuos Romanos, vrbe, & ſolo cœloque Italico expellerent, præſtiterit noſtra Academia, Gallia denique tota in verorum & falſorum Pontificum contentione dirimenda & electionis haud corruptæ defendenda auctoritate, meliùs veriúſque tradunt rerum illorum temporum ſcriptores quàm vt valeant antiquitatis & Gallici nominis oſores probare ſartam tectam non eſſe ſeruandam Pariſ. Academiam & veteribus ſuis inſtitutís ac moribus re-

linquendam. Vel vnus replicetur liber de vita S. Bernardi ab ipſius ordinis hominibus perſcriptus: in rem de qua ſermo eſt habet non pauca eaque non vulgaria. Certè in re graui Theologorum Pariſienſ. ſententia pluris fuit ſemper (vt nihil amplius dicam) non apud Principes modò & cæteros, verumetiam apud Sum. Pontifices. Pius huius nominis ſecundus cùm ad Pontificatum aſſumptus eſſet nihil ferè prius habuit quàm vt *dilectis filiis Vniuerſitati ſtudij Pariſienſis* ſcriberet, qua prorſus ratione ſua ipſius electio proceſſiſſet: ſubijciens *deuotionem eorum precari, quatenus Omnipotentem Deum inſtantius exorarent à ſuiſque exorari curarent, vt illum per ſuam gratiam roboraret & dirigeret in agen-*

dis. Huius rei teſtes literæ ſuperſunt: fecere idem & alij Pontif. Quæ tamen vt vetera nimis jam & obſoleta, nunc perinde deſpiciunt audire & reſpuunt nouæ praxeos amantes clerici, ac ſi Pontificibus indigna forent. Nimirum quia non tam in rebus quàm in verbis, & in externo magis apparatu quàm in vero animi humiliantis ſe habitu affectuque pietatem quærunt, colunt, ſectantur. Nec mirum, cùm huiuſmodi nomine tenus clerici malint aulicorum veris in ſe imaginibus vitam potius exprimere, quàm veteris Eccleſiæ clericorum, Quò fit vt priſca illa pietatis & morum ſæuera majeſtas in pleriſque jaceat effœta iſto exoticarum rerum cõmercio: quod alienis à vera fide hominib. carpendi

pendi detrahendique anſam cõmodat non incommodam magno ſanè Eccleſiaſticæ dignitatis opprobrio. Id verò cùm videt fieri, cur non ægrè ferat & queratur Academia, ſuaque voce excitet torpentes animos ad veteris ſui vſus Catholici & Romani nedum Gallici, conſeruationem redditis interim reddendis cum ſumma humilitate ac reuerentia, *quæ Cæſaris ſunt Cæſari, & quæ Dei Deo? Quanta audiuimus & cognouimus ea, & patres noſtri narrauerunt nobis? Non ſunt occultata à filiis eorum in generatione altera.* Hæc optimè nobis in re præſenti cõuenientia minùs corde & animo voluebas, quàm te Academicarum traditionum obſeruatorem eſſe oportuit; cùm tanquam vnus, ex iis quos regius

Propheta & pſaltes nouerat atque ſic notauit: *Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, et aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum: hæc feciſti et tacui. Exiſtimaſti iniquè quòd ero tui ſimilis: arguam te & ſtatuam contra faciem tuam. Intelligite hæc qui obliuiſcimini Deum.* Reminiſcere illorum dierum quibus tã anhelus ad ædes & aliorum & Cluniacas tam frequenter concurſabas, quibuſque à mane ad veſperam ieiunus & impranſus, niſi hauſto ſolùm in Sorbona iuſculo, tam parum ab re tua otij erat, nec niſi ſerò domum redijſti. Tum peto, num frequentibus Theologorum comitiis, ad quæ (vt frequentiora & tuis partibus fauentiora eſſent) non pauci præſertim Mendicantes Religioſi ex longinquis

etiam locis quaſi claſſico ad tumultum euocati aduocatique in Sorbonam ſunt per te ac tuæ factionis (quos pudet nominare) fautores, author fueris inuitâ ſaniorum ſententia & ſeniorum, vt monitoriis vel comperendinantibus (conſeruandæ concordiæ cauſa) Decretis Curiæ Parlamentalis non ſtaretur : imò aduerſus ea cenſueris, vt ex veſtro illo ordine lecti quidam mitterentur ad Reginam ſeren. & expoſtulaturi referrent nomine Facultatis, non quæ ipſa Facultas coniunctim, ſed quæ ſeditioſi quererentur de integerrimo Senatu huius Regni maximo ſemper ornamento ſimul & firmamento. Nonne poſtea tu, quo cœperas pede pergens, aſſumptis in tuum comitatum nonnul-

lis, citata tua rheda in Aulam regiam excurriſti Fontem-bellaquum vſque, ſilente interea dies aliquot Schola? Atque ſic tanquam belli auidus & Martis præco, non pacis amans & Chriſti Theologus, inter regia Parlamentaria & Secreta Conſilia, contentionis funem necteres & duceres, indeque Proceres Regni (ſi poſſes) diſſidentibus animis, opinioneque diuerſa imbutos inter ſe committeres; dum interea latiùs ſementem tuam faciens diſſeminares ampliùs, árridentem tibi plus ęquo nouitatẽ, & immeritum virum de ſuo loco quem tãtoperé vt nihil ſupra ornauit (vel ipſis ęmulis fatentibus) hac ratione deijceres. O vanam & fœdam non dicam Theologorum, ſed prophanorum homi-

num gloriam! contra inſtituta, contra morem, ſine præuio exemplo, ſine re malè geſta, fratres, fratris (quia fortiter ac ſtrenuè & ſine diſſimulatione muneris ſui publici & priuati partibus perfungebatur) deſtitutionem eſſe proſequutos atque aſſecutos! Anne tam malè de tua gente merita eſt ampliſſima Curia, aut eos qui tibi cognomines ſunt & conſanguinei, & à quibus tu plus claritudinis multò, quàm illi à te accipiunt opidoquàm meritiſſimi de nomine Gallico, tam indignè talis, vel nullo affecit honore, vt quia Academiæ in ſtatu retinendæ, & in ſplendorem antiquum renouandę, fauet & adlaborat, in eam quaſi libertatis Theologicę inimicam aut inuidam inſurgeres, declamares tonares?

Cùm tamen ſiqua nunc à veſtra perturbatione reſtat minus timidis ſentiendi & loquendi cum veteribus Eccleſię Patribus ac Doctoribus; libertas in Gallia, conſtantiſſimo illi Senatui ferè accepta debeat referri. Et certè conſultiſſimi illi ijdemque ęquiſſimi iudices, merito ſuo Academiam, in cuius ſinu lactati educatique fuerunt pręteritæ adoleſcentiæ memores, beneuoli ac benefici colunt, propugnant & quantum in eis eſt ſuſtentant. Debueras & vnà Dominicani tecum ac Franciſcani meminiſſe commotionum grauiſſimarum quas iam olim perpeſſa, fœdiſſimè lacerata & afflictata per eos fuerat Pariſiis Res literaria, quæ multò ante tempora D. Ludouici & ſub eo regnante non à ſuis

modò Gallis, ſed etiam ab ipſis externa fide, gente, natione, aliis in regionibus ac remotiſſimis, poſitis Iudæis, florentiſſima laudabatur in omni ſcientiarum genere & ſcriptis vulgabatur. Reginæ tunc matri Remp. Gallorum gerenti, religioſiſſimæ aliâs & prudentiſſimæ, opinio neſcio quæ iniecta eſt, quâ ferme tota perijt Academia, cum alij aliò ac in diuerſas ciuitates migrarent non reuerſuri; reliqui verò Academici reſiſtentes pede fixo & Mendicantes Religioſi mutuis ſeſe contumeliarum telis impeterent, horrendiſque plagis vulnerarent: atque adeo vt, Anglorum Principe profeſſores alliciente in Britanniam maiorem, & magnis præmiis inuitante Gallia hoc ipſo quo cæteris regioni-

bus ſemper antecelluit, adhucque commendatur literarum literatorumque ornamento, nudata ac ſpoliata caruiſſet, niſi ſagax & prouida Sancti Regis cura tandem ſubueniſſet feliciſſimè & Chriſtianiſſimè. Illo in terra ſancta militante cœperat malum; ex qua autem cauſa Matthæus Paris Monachus Anglus res ſui temporis ſcribens his verbis adnotauit: *Diebus ſub iiſdem, orta eſt diſcordia magna inter Uniuerſitatem Pariſiacam Scholarium & fratres Prædicatores, qui in tantum iam multiplicati ſunt & exaltati, Regum facti confeſſores et conſiliatores, vt veteribus & approbatis conſuetudinibus & iuribus Scholarium renuiſſent ſubiacere. Congregati igitur Scolares, collectam fecerunt & contribuerunt, ſcilicet quilibet ſecundum*

cundum poſſe ſuum. Et cuiuſlibet communia hebdomadalis abbreuiata eſt, vt inde Romanæ curiæ pro parte cleri ſatisfiéret : vnde cornua ſumpſerunt fratres memorati. Habebant enim in curia amicos magnæ poteſtatis, ſcilicet D. frat. Hugonem de ordine Prædicatorum, imò ipſum Papam, & multos præpotentes. Poſt reditum regis ex Aſia in Galliam idem author connotat ortam iterum grauem diſſentionem inter Vniuerſitatem & F. F. Prædicatores : *Qui contra antiquam ciuitatis & Vniuerſitatis conſuetudinem, numerum limitatum legentiũ in Theologia intenderunt, ſine Vniuerſitatis aſſenſu ampliare. Tandem, licet Rex ipſe Francorum intenderet libertatem ſaluare Scholarium Vniuerſitatis, ſimiliter & ciues; ipſi Prædicatores Dn. Papæ de-*

uoti, & propter eorum multimoda obſequia, ipſi curiæ gratioſi, in hoc certamine meliorem calculum reportarunt. Data eſt igitur ſententia à D. Papa pro fratribus Prædicatoribus & omnibus Religioſis, ut legant deinceps licenter in Theologia, non conſiderato numero legentium, qui antiquitus tenebatur certus numero limitatus. Hæc ille, qui poſt aliquot folia, cum ex hac ſententia maior perturbatio accidiſſet ſubſequereturque Doctorum Profeſſorumque ſeceſſio & lectionum intermiſſio, adiungit: *Ipſis quoque diebus reformata & reuocata eſt cleri Pariſienſis Uniuerſitas, quæ ſuſpenſis lectionibus & diſputationibus, & multis Scholarium diſperſis, patuit diſcrimini, propter F. F. Prædicatores, qui conſuetudinem Uniuerſita-*

tis antiquam voluerunt commutare, perturbata. Quæ ex ipſo Matthæo coæuo pluribus referre placuit, vt, illis collatis cum rebus F. F. vtriuſque Societatis nouæ geſtis in præiudicium & dedecus damnaque Academiæ, tu M. A. Magiſtríque alij præuaricatores, alienæ cauſæ & in gratiam curiæ Romanæ (liceat ſine inuidia ita loqui) fauentes, ab eaque ſperantes vel expectantes aliquid, præuaricationem ſuam, atque ignauiam ſupinam reſpiciant & agnoſcant. Vtinam Ludouicus noſter (cui læta, magna & ſancta omnia precamur) ſuo nunc tempore laborantes Academicos atq; Academiam reſpiciat ac reſtauret, vel inuitis inimicis illius ſubuerſionem molientibus; conſeruatam tamen ac te-

ctam poſteris accipientibus & glorioſam. Sed faciet, vt omnes boni ſperant, exemplo adductus maiorum, excitatuſque præſertim facto memorabili cognominis ſui & inter proauos ſanctitate tanta celebris Ludouici, qui ab Hieroſolimitana expeditione nactus eam collabentem, propter non abſimiles noſtris perturbationes, pro ſua pietate & ſumma auctoritate ſic ſuſtinuit & confirmauit, vt reconciliatis inter ſe cohærentibus malè animis, in antiqua conſuetudine ac priuilegiis relictam, filiis ſuis conſeruandam etiam & augendam tradiderit. Hanc talem rurſus ſub Carolo VI. Rege Dominicani perturbarunt, editis quibuſdam propoſitionibus; propter quas illis vniuerſim ea eſt interdictum & con-

cionari prohibitum omnino. Ita factum vt diu Academia eiecti ſiluerint, nec priùs quàm ſatisfeciſſent debitè & ſupplices ſæpius reſtitui in integrum petijſſent, in gratiam ab Academicis recepti ſunt, ad id perficiendũ negotium nec Reginæ commendatitiis nec Regum vſi iuſſionibus aut Edictis. Vidit & pertulit hanc ſecundam tempeſtatem magnus ille Gerſo Magiſtris noſtris ſibilonibus Nauaricis, ad imitandum proponendus meritò & colendus propter ſingularem doctrinę ac vitæ ſuauitatem. Clamabant illis temporibus turbatis nonnulli, & identidem auribus vulgi circumſtrepebant, *Cauſam Dei agi*; ſed hi fortaſſe non tam piè ac verè ſed magis ſpecioſè, quàm qui ſimplicioribus verbis & minori

contentione, cęterùm veritatem retinentes animoſè veram Dei cauſam agebant. Et fieri poteſt vt diſſentionibus noſtris, ſanciendiſque nuperis inſtitutionibus hic idem pietatis prætextus vel zelus non parum valuerit, & de diuino cultu agi videatur, cùm non de emendando leuiter & miti proceſſu, ſi quid eſt emendatione dignum quod non abnuimus & expetimus; ſed funditus tollendo vſu & conſuetudine maiorum abroganda, nouę ſuper nouas, ac nouis modis hominum Societates in Academiam inuehuntur & intruduntur. Hinc tot iurgia & lites, à quibus tantopere cauendum S. Paulus Prædicator veritatis, & recedendum pręcipiebat; quaſq; ſummus pudor eſt & inſignis malicia, ab or-

dine Senatorio quãtumuis ęquiſſimò & conſultiſſimo, nolle penitus definiri & dijudicari. Illi norunt omnium optimè

—quantum diſtent æra lupinis.

Verùm tantus eſt nouitatis amor ad quam Galli ſuapte naturâ ferũtur nimis leuiter & ſępe ſuo damno, vt præ illa antiquiora quęque etiam meliora nũc apud pleroſq; euileſcant. Hanc ob rem exardeſcentes animi, in gratiam placentis nudius-tertius plaſmati inſtituti, nihil penſi habent lędere totam Academiam, Sorbonę detrahere, cuius etiam alumnj, abeuntes eam tanquam non ſatis bene inſtitutam vel malè ſtantem, aduerſo latentis alicuius rei improbandæ ſuſpicione inſimulare non verentur per ſuam ſeceſſionem in alienam quam pro-

feſſi ſunt familiã adhuc naſcentem & Academiæ antea incognitam: Quorſum hoc? Iampridem exploratum eſt non veſtitu Monachum (quod prouerbio dicitur) ſed vita conſtare. Morum integritas, ſanctimonia, abſtinentia, vitę ſpiritualis exercitatio non laudanda ſolùm, ſed amplectanda (vt ſit) omnibus eſt. Quid prohibebat iſta doceri, in veteribus Collegiis iam conſtructis, tractari, haberi, & ſæuerius, ſi placet etiam, exerceri ab iis qui nollunt aliis imperare, & quaſi ſuo ſenſu non abundantes malè regi quam regere? cùm & templa illîc ad eam rem deſtinata, priſcis iam temporibus fundata, SS. reliquiis ornata; & cellulæ ipſis in copia eſſent ſocios etiam habituris non paucos? illic ſacras al-
locu-

locutiones haberi ad populum, illîc cōfeſſiones audiri, ſi permitterent hierarchici Paſtores, etiam potuiſſet licere: illinc ad ægros, ad carceratos, ad pœnis dānatos exire, conſolatum, confortatum, exhortatum: deniq; omnia miſericordiæ opera verbo prędicare & actione complere. At nòuos corporis ornatus qui oculos domi foriſque perſtringant & diſtinguant exteriùs, nouos cantus, qui permulceant aures & equos curruſque pertrahant aduolaturos, organicam etiam vocibus puerorum adiūctam muſicam in Quadrageſima contra cōſuetudinem Eccleſiæ, contraque quod dicitur: *In luctu publico importuna muſica eſt*, in vſum vocare, non tam facilè cònceſſum fuiſſet. Quòd ſi propterea neceſſitáſ, aut

aliqua magna vtilitas ſeceſſionem Doctorũ poſtulabat, cur inſalutatis ſocijs hoſpitibus abierunt & inconſultis? & cùm ita abierint, in aliamq; facta capitis minutione, familiam adoptati tranſierint, cur ius, quod in deſerta domo iure amiſerũt, ſine iure volunt repetere & eo potiri? Lites nouæ ideo exortę, nouo ambitu intentæ in Academia, & per auram ex Aula ſpirantem (ſi fieri dignum eſt) vincendæ. An decuit homines quos aliqui reformatos Ieſuitas dixerunt (ipſi verò ſe, preſbyteros in perfectiorem vitam congregatos ad orãdum, appellitãt) cõtrouerſias pacatis & nihil tale ſuſpicantibus, mouere, iis quaſi dominari & pręeſſe velle, miris deniq; & perquàm artificioſis rationibus conari negotium ſuum con-

ficere? An eſt reformatio vel oratio Deo pacis authori grata, ſacrum Theologię ordinem iam nimis turbatum, denuo turbare? An eſt Oratorianorum perfectio ſua factione principem Academiæ ampliſſ. Rectorem in Scholas quibus imperat non admitti, aut indignis excipi vocibus, exſibilari ſtridoribus? An iſta eſt Rogatio ſupplex & demiſſa, quam Domus Oratoriana (& tam modeſta vitæ melioris, quàm in Sorbona aut alibi eſſet, ratio pelliciens homines) vt in Academiam ſuſciperetur, offerre debebat? illum qui Academiæ præeſt, atque Academicos regit, cõfugientem, poſt ſuas iniurias (tanquam ad ſacram anchoram) ad maiorem omni laude Senatum, & præclarè acta cauſa & eloquenter honori

reſtitutum; nihilominus ei de Academia optimè merito, ne Magiſtratus Rectorius prorogaretur, corruptis Intrantium votis, prohibere voluiſſe? Et cùm prorogatus eſſet, ſubornato Nationis Germaniæ Procuratore, eoque literis à viro dignitatis Eccleſiaſticæ emendicatis, adducto vt litem moueret & proſequeretur, illum coram vrbano Prætore in ius citari, reuocata in dubium eius ſtatus conditione cauſam dicere, pro ſuis Scholis cogi iudiciale forum frequentare, & quaſi ſuas illic habere lectiones? Sed interea vt vis maior eſſet ac fieret, Aureliano, ſeniorem reliquis Doctorem olim propter ſeditioſas cóciones in vincula coniectum, conductumque pecunia Lutetiam exciuiſſe, vt Deca-

nus pro ſua antiquitate, ſeriniſſ. Reginę obrepticiis literis poſtulantibus, ac factioſis applaudentibus, vindicias non ſecundum ius & æquum Parlamentique Decretum, ſed ſecundum ipſorum præoccupatus ſententiam, daret? O propudioſa comitia! Melior lõgè fuiſſet & glorioſior concors ad reuocandam concordiam animorum conſtantia, & conſtans venerandarum traditionum Academiæ obſeruatio, quàm nutans illorum inclinataque ad nouitates propenſio, ac horum malè audiens & cõtempta leuitas; aliis antiquâ ſententiâ & dignitatis loco vel deiectis, vel cedentibus; aliis itidem imperitè nimis & inſolenter ad externorum opiniones nouitatemque volentibus omnia conformare. Superiori-

bus ſeculis vſu tritum verbum fuit, in ea qua dė re nunc tam contentioſè diſceptatur & ab externis hominibus ad nauſeam vſque ſcribitur; *Gallia nouitates non nouit.* Bona hæc fama vt reſtituatur nobis in integrum, quieſque tandem turbatis rebus, aſpirante Deo, & concordia afferatur in animos diſſidentes, Academia trahens altos ſpiritus gemebunda & lacrymans, optat, orat, obteſtatur omnes ſuos alumnos. Pudet pigetque iſta referre, & Magiſtris ſuum pudorem quo ſe ipſi ſuffuderunt, dedecuſque quo inſperſi malè audiunt (vt non contumelioſus ſum) obijcere, illudque Apoſtoli vſurpare: *Cum ſit inter vos zelus & contentio, nonne carnales & ſecundum hominem ambulatis?* Exprobrabat Dominus

per Iſaiam ieiunantibus quòd litigarent: *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra: & omnes debitores repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, et percutitis pugno impiè.* Itane Oratoriani è Sorbona ſeceſſerunt oratum ad lites & contentiones excitandas? Cur vnico corpori duo loca tanto ardore aſſignanda petuntur? An illi homines bicipites ſunt veluti Imperatoriæ aquilæ, vt altero in Sorbona, altero in Oratorio ſimul loquantur & ſpirent ſuas nouitates? An ideo quia illis res ampla domi, opeſque iam tantæ vt per ludibrium à vulgo agnominentur? Verùm enimuerò ſine inuidia otio perfruantur & ad ſuam aliorumque ſalutem catholicè laborent: licebit per Academicos, qui eos etiam iuuabũt,

dummodo nihil doctrinæ ipſis & ſtatui Gallico aduerſæ ſapiant, permittantque loco ſuo eſſe, honore & numero cæteros, & negotia ſua in ſuo otio ſine interpellatione pertractare, antiquo iure & ritu regere. Si ſalus animarum tantopere illos agit & alios, qui quieſcere non poſſunt, nec ſe vlteriùs ſine perturbationum renouatione promouere, cogitent de conuertendis & docendis Topinanboſſis, quorum aliquos hîc vidimus. In eorum latè patentes & vicinas regiones non eſt qui panem Euangelij portet, & frangat miſerè pereuntibus ſine Chriſto multis hominum millionibus. Via tamen ad præclarum opus & æterna memoriâ dignum iam facta & aperta ianua eſt per pijſſimos & Apoſtolorum more

illic agentes Capuſſinos: quibus ſuppetias latum eant, rogat, monet, exhortatur Academia *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri quibus viſitauit nos oriens ex alto,* ſodalitates iſtæ diuites & lætæ. Habent enim pecunias ad ſumptus pro nauigatione ſi expẽdere velint; habẽt viros, & vt credimus pios, atque ad eam rem valde vtiles, ſi paterni ſoli & Lutetiani cœli amor non retineat. Fuit nobis colloquium his diebus cum viris honeſta conditione & fide, iamiam reuerſis ex ijs Africæ partibus quæ ſpectant ad Oceanum & ad Æquinoctialem accedunt. Hi referunt ingreſſos amnem latitudine non ita magnâ, ſed tanta aluei profunditate & tam longo aquarum defluxu, vt illo aduerſo nauigantes delati ſint ma-

ris æſtu eos deferente onetarijs nauibus in continentem ad centum quinquaginta leucas vt vocant, vlterius etiam progreſſuri ſi opus fuiſſet. Circa poſitæ & jacentes vtrinq; regiones ſatis cultæ populos habent corporis ſpecie, quanquam atra, non deformi tamen, ingenio miti, commercio facili, & ad quos acceſſus patet liber & ſine dolo quibuſuis eò appellentibus. Nullæ ſtupēdæ mœnium moles minacesue turres in portubus quæ nauigantes ad eos arcere poſſint, viſuntur: at mapalia multa in agris per pagos fuſa: ſub principibus quorum imperio parent valde liberi ſunt, & illis templa nulla, Sacerdotia nulla myſteriaue ſacra eſſe referebatur. Deum tamen ſublatis in cœlum oculis manibuſque vnum, quem

vix norunt, adorant, & ei, euentus rerum volenti, ſignis attribuendos indicant. De Machomete aliquid audierunt, de Chriſto fortè non item. Traditionum patriarum & eorum quę à parentibus quique ſuis acceperunt tenaciores ſunt. Inter mulieres (quātumuis plures ſępius vni nubant) pudicitia tanta, atque inter virgines innuptas caſtitas, quantam vix in Chriſtianis reperire eſt. Patiuntur ſecum ſermonem haberi lubenteſque audiunt de religione Chriſtiana, cui exercendæ poteſtatem fecerunt tabulis ſignatis Arabico charactere (alias literas non habent) ſacras extruendi ædes, in eiſque rem diuinam faciendi noſtris ſi fuiſſent, miſerum! aut eſſent illic qui facerent. Ex Aſia in Europam ad nos alla-

tum eſt Euangelium, Hieroſolimis & Antiochiâ Romam per Apoſtolos: inde & Athenis in Galliam, & Lutetiam per Dionyſium. Hinc hinc iam, quando alij aliunde non prodeunt, in Africam ad Medeuingios (ſi benè memini) populos illos, & bibentes è Gambio, is ingens eſt fluuius, mittantur & euolent tanquam ex aluearibus vbi contineri non poſſunt in pace propterea que tumultuãtur apum examina, noui iſti conuentus Oratoriani, Ieſuitæ etiam quos tam numeroſa ipſorum Collegia nõ capiunt, quin Pariſios refundantur, frequentibus ſuis vel ad lites ſerendas perſequendaſquè viſitationibus; vel ad ſolicitandos & aliò auocandos ex Academia, & deducendos pueros, perpetuò ferè

inuigilantes, aliâs Lutetiæ parum neceſſarij. Cum his vel ſeorſim, noſtri Eccleſiaſticæ amplitudinis temporariæ zelotes(qu ndoquidem hîc pacem publicam faſtidire videantur)ſi eò migrent egregium & meritorium bellum bellare poterũt, cum infenſo humani generis hoſte, & pro quamplurimis paranda ſalute. Quod caput eſt, rem Deo gratiſſimam, hominibus ſummè ſalutarem, Eccleſiæ (cuius latiùs fines proferent) honorabilem facient; ſibi verò gloriam immortalem & Academiæ, quod repetitis votis expetitur, ſtatum trãquillum parient atque promerebuntur. Audiant ergo quaſi tuba ſonante ſibi ſignum repeti ad ſequendum & exequendum præceptiuam hanc Ieſu Chriſti vocem: *Jte, do-*

cete omnes gentes baptiZantes eos, et c. Refert Rufinus in Hiſtoria Eccleſ. propter Gregorium Nazianzenum Conſtantinopoli natam fuiſſe in clero aliquando perturbationem eaque per eundem ſublatam & extinctam hoc modo: *Reddita verò pace,* inquit, *Conſtantinopolim ad Eccleſiam docendam venire exhortatus, non abnuit. Vbi breui tempore tantùm ad emendandum populum vetuſtis hæreticorum infectum venenis proficit, vt tunc primùm Chriſtiani ſibi fieri viderētur, & nouellam lucem veritatis aſpicere, cum religionis doctor multa quidem verbis, plura tamen docèret exemplis: nec viderent ab eo diſcipulis aliquid imperari quod non prius ipſe feciſſet. Sed vbi gloriam ſubſecuta inuidia eſt, obnîti quidam et proſcriptionibus minus ſanis vbi cæ-*

pere, vt ipſo ad propria remeante, alius ordinaretur Epiſcopus. Quod ille, ſuſurrari tantùm et ſub dente ſentiens ruminari, ipſe profert, quod dicere ei nullus audebat: Abſit, in-quit, *vt mei cauſa aliqua ſimultas in Dei Sacerdotibus oriatur. Si propter me eſt iſta tempeſtas, tollite, et mittite me in mare, et deſinet à vobis quaſſatio. Tum regreſſus in Eccleſia ſua quod ſuperfuit vitæ tempus exegit.* Rarum quidem exemplum, ſed non tam mirandum quàm imitãdum perturbatoribus Academię, qui ſi tantùm animo & interiùs pietatem quantùm corpore & exteriùs præ ſe ferunt, tranquillitati dabunt locum, & cedere prius habebunt quàm vltra luctari aut lites intendere. Populi (de quibus ſupra) expectant ad ſe aliquas religionis noſtræ mar-

garitas & diuini verbi merces exportari, cum ferro, quod illis neceſſarium ad ligones arandæ terræ, & ad arma quibus ſe propugnant; optimum verò ex Gallia illis eſt propter laudatam in eo tractando conformandoq; certa quadam ipſis cognita intingendi & extinguendi ratione facilitatem, quam Hiſpanicum non habet. Pauci ad eos mercatores cōmeant Luſitani ſed commercij tēporalis cauſa, neglecta tot populorum interea ab ijs ſalute. Quibus ſi præbeant auxiliatrices manus Antiſtites noſtri & S. Dionyſij ſucceſſores in honore ac munere, & in onus atque etiam animarum ſolicitudinem probabunt verè ſe ſucceſſiſſe. Pariſiis in tanto populo, & tot Eccleſijs cōcionatores ſuperfluunt plures tamen

men adhuc ſuperſunt, quos locus hîc vbi concionentur deficit. Razilius iamdiu expectat vectores & quæ ſunt ad exportandos Apoſtolos ad eas regiones Auſtrales, neceſſaria. Si ex ampliſſimis tot beneficiorum præpinquiũm reditibus pars detrahatur, faciendis huiuſmodi ſumptibus impendenda, Deo cõſecrabitur, & qui ſuppeditabunt ipſi Deo fœnerabuntur. Soluerunt naues quæ ad eas Africæ regiones & Topinanboſſorum appulerunt ex Normania, & quotannis ſoluunt mercatoriȩ ad res exportandas & importandas corpori humano tantum vtiles, Tu qui (fama circumferẽte) poſt diutinum ambitum ad eius prouinciæ (quãtum ad ſpiritualia pertinet) adminiſtrandæ, curam & dignitatem

per conſortium adoptatus es, & in Rotomagenſem Archiepiſcopum deſignatus, facias quæſo, pro tua ſolicitudinis parte quã in vniuerſali Eccleſia ſuſcipere vis, vt tuis & tam feliciter beneficiatorum cenſibus erogandis, enauigent cum mercatoribus ſecularibus etiam diuini verbi mercatores, qui importantes exhinc ad populos illos in tenebris peccati verſantes, ſalutis æternæ lucem, cùm ejſdem ſic piè, ſic integrè, ſic ſanctè negotientur docendo & faciendo, vt vtriſque, regni cœleſtis lucrum fiat ampliſſimum, vnáq; Academicæ ſopiantur diſcordiæ, inque præclara miſericordiæ opera permutatæ, Chriſtianiſſimè coaleſcant. Iuxta Dauidis Prophetæ dictum; *Dominus dabit verbum euãgeliZantibus, vir-*

tute multa: Rex virtutum dilecti, dilecti, & ſpeciei domus diuidere ſpolia: Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. Sed præter hæc Gallia noſtra queritur quòd ſunt paſſim in Aquitania alijſque locis quamplurimis, per agros quaſi palantes animæ, hæreticæ, ignorantes, malæ etiam, quę in ſua prauitate, ignorantia, malitia, ſortilegijs plerumque, miſerè & damnabiliter moriuntur, non habentes qui eas moueant & doceant oues, niſi fortè pro paſtoribus lupos. Quia pagos inhabitant, quia in agris degunt ruſticani illi homines & procul ab vrbibus, ſodalitij concionatores ad eos nō commeant, vnde emolumentum temporale nullum ſperatur. Hæc ſuggerit

M. A. querula & illacrymans tua literarum mater, vt ea conſideres acuratè, & nunquam patiaris illi vitam adimi; ſed ęgro corpore (vt eſt) habentem refoueas & confirmes, proq; quanta potentia polles in priſtinum valetudinis bonę ſtatum reſtituas. Sic veri boniquę alumni perfungêris officio: ad quod parens altera te inuitat & hortatur, atque perinde vt ciuitas ſuum ciuem, vti id præſtes impigrè, adſtringit, ni velis patriæ tuæ iura potius prodere quàm tueri.

Quamobrem audi attentiùs quę Gallia obijcit ob excitatos à te & tui ſimilibus in ſua Academia perturbationes & motus. Dedi tibi, inquit, ortum, & in eo natalium ſplendorem, diuitias, percelebrem Abbatiam, cogito

& aliquid aliud, vt his per mè auctus & à me ornatus, tu viciſſim ornamento mihi eſſes, meos domi foriſque ornares & tuereris. Gallus es, non Italus, non Hiſpanus: tu Gallis, non Italis, non Hiſpanis natus. Ego Gallia te alo, te veſtio ſplendidius quàm pro neceſſitate. Quod ſupereſt in Gallos priùs & maximè erogandum. Honores, potentiam impertiui, non vt ijs ad meam meorumque perniciem abutaris; non vt populos meos in partes diſtrahas; non vt diſcordiæ ſeminibus in hominum animos diſiectis pacem interturbes, ſeditiones moueas, benè inter ſe conuenientes diſiungas; non vt fucatis rationibus iura mea coneris peruertere & ſubditos meos alienis ſeruire imperiis perſuadeas; non vt ſpecie religio-

nis & vmbra eorum mentes à me alienatas externæ dominationis iugo ſubigas; non vt Catholicos meos Doctores tuis extraneorumque artibus & conſiliis, in ſuſpicionem malè ſentiendi adducas, quibus tu iuuenis beneuolentior eſſe deberes & eorum multò te ſeniorum antiquæ ſententiæ adſtipulari & adhęrere potius, quàm permittere iſtò te percelli debilum animorum oculos perſtringente oſtro, quo velut œſtro percitus iam diſperire videris. Quæ cum fiunt cõmunis mater & in te ſummè prodiga Gallia meritò conquiritur viſcera ſua immaniter dilaniari in filiis quos peperit præſertim Magiſtros in artibus & ſacra Theologia. Eorum nomen indigniſſimè traducitur: & quo conſtantiùs eorum

aliqui viros ſe præſtant in propugnando matris ſuæ decôre ac dignitate, reijciendoque procul ab ea fuco ſpeciem eius deformante, tanto amarulentiùs in eos debacchatur & deſæuit maleuola æmulorum conſpiratio atq; acerbitas. Neque enim ſatis viſum eſt homines eiuſmodi pro aris & focis fortiſſimè ſtantes ex inſidijs & occulto primùm conatu aggredi; ſed etiam aperta fronte cõtra eos intenta eſt vis major, quæ nullos vnquam cuiuſcunque dignitatis aut ordinis clericos decuit minimeque licuit. Conſtat fide dignis teſtibus eſſe in tua familia vel talari tunica inſignes, qui quoſdam venientes ad te aut ſalutandum, aut alloquendum, priuſquam illis tui fieret copia, miris ſermonibus adorti ſunt & ab hominibus

Eccleſiaſticis omnino abhorrẽtibus. Quaſi de Academia percontaturi quid in ea noui eſſet quidnuc referretur, continuò quid ſentirent de Richerio rogant & interrogant. Illis verò ea de re loqui refugientibus alióque deflectentibus ſermonem, iſti tuĩ prorumpunt in verba & altè clamãt, Richeriũ hominem eſſe nequiſſimum, dignũ ſupplicijs, & quem qui occideret præclarum facinus, editurum. O mentem impiam! peruerſam audaciam! jn domo Doctoris, Abbatis, Sacerdotis, Clericos & homines in Chriſti ſortem electos, alterius Doctoris ſummi Theologi & Sacerdotis ſanguinem corde ſitire & ore fundere! Hæc impia vota, Gallia noſtra parens à ſuis & in ſuos cõcepta vehementiſſimè horret ac execra-

execratur, teq; non poteſt non habere reum coram Deo, de te ac de cruentis iſtis clericis expoſtulatura: maximè verò cùm & tu diſſemines ab eodem Richerio maximam iniuriam ſummo Pontifici illatam, ob quam Romæ vltrices flammæ illum expetant expectentque, & niſi eò mittatur vt vero corpore luat, ficto in palea exarſurum. O indignos quouis Chriſtiano ne dicam Theologo viro ſermones, quos boni omnes ex ore tuo, & in ordine Theologico prolatos mirantur, lugent, deteſtantur: quoſq; Gallia mater contortos tanquam tela in ſuum pectus, excipit ab ingratiſſimo filio fratrem ſuũ immeritis odijs proſequente, Tute iſta commentus barbaram Petro Petriq; ſucceſſori Ieſu Chriſti ſeruatoris diſ-

cipulo iniuriam affingis & infers: cui animarum paſtori (qui iubente Chriſto ſeptuagies ſepties offenſam ſuam remittere tenetur) animum ſæuiendi crudeliter in corpus, & damnata vtendi carnificis opera, tribuis. Nullæ hac immanitate ſaluantur animæ. Præpoſtera mens & malè ſana hominum, qui vnde vitæ ſpiritualis alimonia ad nos mittitur, & tot manant in dies Indulgentiæ animarum, inde aliquibus vitę temporalis exitium ſpirari velint. Stupeo totus cùm hæc recogitans Chriſtianæ pietatis officia quæ ſint vna recolo, ac præteritorum Eccleſiæ Catholicæ ſeculorum memoriam repeto vltimam. Non ſicut M. A. Paulo V. in torquenda hominum corpora, itidem S. Hieronymus poteſtatem affecta-

bat Damaſo, à quo petens iterum ſibi, quibuſcum Antiochiæ communionem habere deberet, reſcribi, eum in hunc modum obteſtabatur: *vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris et merito: ita in ſolio cum duodecim iudicaturus ſedeas, vt alter te cingat: ita municipatum cœli cum Paulo conſequaris.* S. Auguſtinus apud iudices prouinciales intercedebat inſtantiùs, & identidem ne vel ipſi circuncelliones Donatiſtæ punirentur pœna legibus conſtituta, efflagitabat. Cùm enim illi *vnum* è ipſius, compresbyteris *exceptum inſidijs trucidaſſent, alterum è domo raptum oculo effoſſo digitoque amputato truncaſſent*, vt eis paria uon retribuerentur, primo Marcellinum Tribunum, deinde Apringium Proconſulem Africæ ſuis

literis admonuit & multis precibus conteſtatus eſt: *ne multentur*, aiebat, *hoc timeo; & Chriſtianus iudicem rogo, & Chriſtianum Epiſcopus moueo.* poſtea: *Alia cauſa eſt prouinciæ, alia eſt Eccleſiæ: illius terribiliter gerenda eſt adminiſtratio, huius clementer cõmendenda eſt manſuetudo.* & infra: *ne paſſiones ſeruorum Dei Catholicorum, quæ prodeſſe debent ad exempla patientiæ, inimicorum ſuorum ſanguine fœdarentur.* deinde: *Si ergo nihil aliud conſtitueretur frenandæ malitiæ perditorum, extrema fortaſſe neceſſitas vt tales occiderentur, vrgeret; quanquam quid ad nos attinet? ſi nihil mitius eis fieri poſſet, malemus eos liberos relaxari, quàm paſſiones fratrum noſtrorum fuſo etiam ſanguine vindicari.* & interiectis quibuſdam: *Cùm enim tu facis, Eccleſia*

facit, propter quam facis & cuius filius facis. Illi impio ferro fuderunt ſanguinem Chriſtianum: tu ab eorum ſanguine iuridicum gladium cohibe propter Chriſtum. Illi miniſtro Eccleſiæ extorſerunt ſpacium viuendi: tu inimicis Eccleſiæ viuentibus relaxa ſpacium pœnitendi. Talem te eſſe oportet in cauſa Eccleſiæ iudicem Chriſtianum petentibus, admonentibus, intercedentibus nobis. Hęc & plura alia Auguſtinus: quibus aliqua S. Martini Turonenſis noſtri connectamus ex Seuero Sulpitio eius diſcipulo. Cùm Idacius & Ithacius Epiſcopi Hiſpani Priſcillianum & eius ſocios hæreſis reos perſequerentur apud Maximum Imperatorem, *tum Martinus apud Treueros conſtitutus, non deſinebat increpare Ithacium, vt ab accuſatione deſiſteret: Maximum*

orare vt ſanguine infelicium abſtineret : ſatis ſuperque ſufficere, vt Epiſcopali ſententia hæretici iudicati Eccleſiis pellerentur : nouum eſſe et inauditum nefas, vt cauſam Eccleſiæ iudex ſeculi iudicaret. Deniq; quoad vſque Martinus Treueris fuit dilata cognitio eſt : & mox diſceſſurus egregia authoritate à Maximo elicuit ſponſionem nihil cruentum in reos conſtituendum. Quid opus eſt pluribus? Sed dices candori iſti & lenitati veteris Eccleſiæ clericorum, oportere nunc ad terrorem malorum cruentum aliquem ſuffundi colorem per & propter aliquos. Bone Deus! quaſi nō peruiderint antiqui patres hocipſum; & quæ Chriſtus ac per Chriſtum maiores noſtri nobis pepererunt, conſeruare eadem ratione non valeamus, hu-

militate, miſericordiâ, tolerantiâ & miti debitoque rerum tractandarum vſu: quæ virtutes quanto magis eminent in clericalis vitæ principibus, eò perfectius illi Ieſu Chriſti perſonam quam ſignant referunt: & contrà, quò ab illis minus exercentur eò longius ab eodem repræſentando ipſi diſcedũt. Quàm præclarum vtique foret, ſi vt candicante ſuper laneum pannum amictu lineo extus clerici exornantur: ita & intus innocentiam mentis, odium ambitionis, faſtuſq; humani, denique dilectionem proximi geſtarent; ſemotis externarum rerum curis; intenti ſolùm ſaluandis animis. Sic animati fratrum admonentium ſe exilium aut exitium non quærerent. Habemus in Eccleſia Rom. Præſules gale-

rato capite & veſtibus toto corpore rubentes atque illuſtres, ſed etiam accepimus id illis inſigne eſſe, quod moneat & exhibere debeat illos paratiores vbique & promptiores ad expeditam ſanguinis ſui profuſionem pro Chriſto, pro Eccleſia Cathol. pro oue, & non oue (ſi caſus ferat vt boni paſtoris eſt) aberrante aut pereunte, reuocanda, ſananda, ſeruanda, imò & redimenda ex quauis captiuitate ſpirituali & temporali, paganiſmo, errore, atque peccato: Non autem vt pro elato huius dignitatis ſupercilio, alius quiſquam ab illo ordine tãquam pro Chriſto patiatur, pereat, ingratumq; Deo & hominibus peripſema fiat. Secùs, quia Epiſcopi (Auguſtino Principes Eccleſiæ dicti) ſpiritualem poteſtatem habent

bent à Chriſto, & ante alios habuerunt, ſi ad pompam & oſtentationem tēporarij imperij coruſcet in quibuſdam & appetatur purpura, is fulgor non ſacer ſed prophanus, non ex vetuſto Eccleſiæ ritu ac iure promptus, ſed ex vana profectus nouitate cenſebitur viris quibuſq; pijs & cordatis, atque inductus ex aſſentatione curialium hominum, qui veritatem, ne lædant verbo non audent attingere, tanta eſt eorum timiditas vel ignauia. Homines eiuſmodi perſtrinxiſſe videtur Ezechiel propheta cùm diceret: *Væ his qui cõſuũt puluillos ſub omni cubitu manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas. Et cum caperent animas populi mei viuificabant animas eorum. Et violabant me ad populum*

meum, *&c.* Sed redeamus è diuerticulo ad res noſtras. Tibi opes, tibi potentiam Gallia dedit, vt Gallos conciues, etiam condoctores (ſi res poſtulet) protegas & cõſerues, non autem diſperdas. Atque ſi quod fingis magno certè Regiæ maieſtatis & totius Regni dignitatis probro, id verum eſſet reuſque Richerius alicuius criminis vt nullius eſt; deberes tamen medium te quaſi murum interponere, proque tuis viribus animo & corpore cõtendere, res tam horrenda ne ſuccederet; læſis verò, ſi qui eſſent, Eccleſiaſtico modo fieri ſatis, ſine vlla ferri aut flammæ mentione. Sic Chriſti diſcipulus fratrem tuum lucrareris ac proinde cœleſtis corona; ſic ciuis ciuem proinde ciuica; ſic Doctor Doctorem

proinde altera laurea deberetur. His in contentionibus quæ minimè ſunt de Fide, alma parens Gallia aurem tibi vellit, & anteſtatur coram incorruptiſſimo judice Chriſto Ieſu, vt priſcos ſuos Antiſtites, Dionyſios, Hilarios, Martinos, Remigios, Gregorios Hincmaros, Bernardos, & his ſimiles imiteris, & in Deum & in patriam ſuam olim optimè affectos. Atq; vt clariùs rem intelligas exemplorum appoſitione, & peruideas quàm aduerſo modo repugnantique maiorum noſtrorum Præſulum moribus, dictis, factiſque te geras, dum minores ſuos annos agit LVDOVICVS xiij. Rex noſter, quem Deus ſemper amet, conſeruet & augeat, obuerſetur tibi animo Stephanus quõdam Abbas S. Genoueſes Pariſ.

& poſtea Epiſcopus Tornacenſis, qui pro antiquo Eccleſiæ Gallicanæ Regnique iure ſub adoleſcenti ætate Philippi II. Regis, cognomine Adeodati, conſtantiſſimè ſtetit, & obſtitit quominùs ex vnica Prouincia Eccleſiaſtica, mandante, volente, conſtituente Pontifice Romano, duę fierent: atq; adeo vt Archiepiſco Turonenſi, cuius cauſa tunc agebatur, vndecim Epiſcopi etiamnunc ſubſint ſuffraganei & pareant. Si ſecus Tholoſæ aliquando, petente id vel ſaltem conſentiente Principe factum eſt. Stephanus, D. Papæ Lucio, ex perſona Philippi II. his verbis ſcribebat: *Si obliuiſci poterit mater filiorũ vteri ſui, & Eccleſia Rom. Regni Francorum obliuionem aſſumet, cùm vtrumq; de iure ſit impoſſibile, de*

natura difficile, de facto enorme. Quid enim vltra facere debuimus matri noſtræ & nõ fecimus ei? paulo poſt:*Perſecutiones ipſius quæ frequentius acciderunt, patres noſtri Reges Francorum & robuſtis portabant humeris, & extentis brachiis defendebant.* & infra: *Turonenſem Eccleſiam noſtram ſemper ac patrum noſtrorum fuiſſe, et præſentium memoria tenet, et priſcorum annalia profitentur. Totius Britaniæ minoris Metropolitanus hactenus extitit qui Turonenſi præfuit Eccleſiæ, & in ipſo partes extremæ Regni noſtri vſque ad Oceanum requieſcunt. Ecce, pater, diebus adoleſcentiæ noſtræ nos impugnant non ſolùm qui armatam, militiam exercent, ſed et qui in ſorte Domini vocantur Clerici Dolenſes: fortè non ſine dolo dolorem nobis inferre*

conantur, in tenero capite noſtro coronam antiquam confringere molientes chariſſimum ac fideliſſimum noſtrum Turonenſem Archiepiſcopum ſuggeſtione quorundam & fauore, vt dicitur cuiuſdam infra breuiſſimi temporis anguſtias vocaſtis, vt de cauſa quæ magis noſtra eſt quàm ſua reſpondeat, et ſtatum coronæ noſtræ in ancipiti ſtatera ponat, periculoſum ſanè & ignominioſum nobis & poſteris qui ſuccedēt. deinde: *Quòd ſi fortè, quod non credimus, inexorabilem vos inuenerimus vſq; ad congruum tempus quo Dominus pacem & quietem Regno noſtro dare voluerit, Archiepiſcopo noſtro Turonenſi dilationes indulgeat benignitas veſtra; quoniam propter neceſſarias regno noſtro cauſas eum retinuimus*. Poſtremò: *Sciat autē paternitas veſtra quoniā in ge-*

nerali (Conuentu noſtro quem in initio Quadrageſimæ propter hanc cauſam & alias Regni neceſſitates Pariſius cõuocauimus, (Conſilio Archiepiſcoporum et Epiſcoporũ ac Baronum noſtrorũ prædictum Archiepiſcopũ ab incœpto ininere retinuimus, vt pote neceſſariũ nobis & vtilem rebus inceptis, & per Dei gratiã ad honorem Regni noſtri peragendis. Idem eidem ſub perſona eiuſdẽ, alia epiſtola: *Quid enim*, inquit, *aliud eſt Archiepiſcopum in eadem prouincia contra Metropolitanum ſuum & integritatem Regni noſtri erigere velle, quàm ab hæreditate patrum noſtrorum nos tanquam imbecilles, et reſiſtere non valentes, eijcere & fugare? videat Dominus & iudicet, quod ſi proceſſerit factum iſtud, minus amodò vos æſtimabimus patrem quàm victricum, minus ſentietis nos filium*

quàm priuignum. Vſque ad animam noſtram pertinget gladius iſte, vt exhæredati clamemus, plangamus nudati, contempti & abiecti à vobis, vltionem quandoque Dei & hominum expectemus. Neque enim ſolummodò vulnerabit nos plaga iſta, ſed & *omnes totius Regni Barones in compaſſionem accendet, vt de manu veſtra requirat Dominus ſanguinem qui propterea fundi poteſt, & maiores Regni principes materiam ſeceſſionis & guerram perpetuam, quæ accedere poterit, eis imputet qui merentur.* Rurſus idem ſuper eadem re ſcribebat Magiſtro Meliori Cardinali ex perſona Domini Remenſis, in hunc modum. *Occaſione Turonenſis & Dolenſis diſcordiæ tantus in animum Domini Regis & principum eius amaritudinis rancor deſcendit, vt coram Archiepiſcopis, &*

pis, & Epiſcopis & Baronibus Regni ab Eccleſia Romana ſe conqueratur exhæredari, & dignitatem Eccleſiæ Turonenſis, quæ ſua eſt, aliter quàm temporibus patrum ſuorum fuerit, imminui et turpiter mutilari. Ingratam ſibi et patribus ſuis clamat Eccleſiam Rom. et oblitam beneficiorum quæ perſecutionis & pacis temporibus à Francorum Regibus hactenus percepit: pro matre perhibet ſe recepiſſe nouercam. Subijcit poſt aliqua: *Credimus, quia ſi Dominus Papa contra Turonenſem Eccleſiam proceſſerit in facto iſto, Dominus Rex & omnes Barones eius indignatione, ira et odio plus quàm credi poteſt animati et armati, abiectâ pauliſper reuerentiâ, quam Eccleſiæ Ro. debent, noua et periculoſa cõſilia tractare cogentur, & non poterit leuiter extingui quod præci-*

pitanter potuit incitari. Melius eſt autem in tempore occurrere, quàm poſt exitum vindicari. Poſtmodum re (vt videbatur) & contentione confecta, Rex expeditionem parat & proficiſcitur cum exercitu in Paleſtinam, hoſtes Chriſtiani nominis bello infeſtaturus. Eo abſente repetiturEccleſię Turon. quæſtio, vt facilius ſuccederet ex Dolenſis Epiſcopi ſententia. Regina mater Regnum adminiſtrabat. Ea conſtanti animo nouum impetum ſuſtinens, pro Regis filij & Regni iure, vnáque pro Eccleſiæ Gallicanæ libertate ita dimicauit, vt vanus aduerſariorum conatus in irritum redierit. In eius Reginæ perſona Domino Papæ idem Stephanus Abbas ſcripſit: *Videre mihi videor partem viſcerum meorum in ſacrificio*

Domini offerri & vnicum filium meum tãquam colligatum cum Iſaac imponi ſuper altare, necdum tamen patientiam ſecundum obedientiam Abrahæ imitari poſſum vel aſſequi, quia et maternus excludit animus & ſexus in me femineus non admittit. & paucis interiectes: *Peccat in Dei filium, peccat in Spiritum Sanctum, qui in tam deuota & religioſa eius abſentia, Regnum ipſius in aliquo perturbat, et in alium ſtatum contendit inuoluere vel permittit, quàm in eò quo pacifius eius egreſſus, ſub quodam ſolatio populum ſibi ſubditum credidit minus flentem. Hæc ideo, pater, vobis ſcribo, quoniam ſpecialiter mihi cura Regni iniuncta maternum mouet et monet animum meum, vt prouida ſolicitudine videam, ne vel circa Eccleſias, vel circa principes maiores ſeu minores, ciui-*

tates, opida, vel populum immutentur aliqua, quibus deuota peregrinatio filij mei Regis indignari debeat aut turbari. Demum finẽ hunc facit: *Nec enim patienter ſuſtinere poterit peregrinus noſter per Dei gratiam fortis adhuc & potens, nec Regni Principes æquis oculis aſpicient ſub alio diſcrimine iura Eccleſiarum ſuarum currere, quæ tempore bonæ memoriæ patris ſui Ludouici vel ſuo hactenus proceſſerunt: nec aliquo modo permittent Metropolitanum minoris Britanniæ ſub quadam prodigioſa facie ſuperbire, vel tum Iano bicipitem, vel Centaro bifrontem.* Ex his M. A. tecum preſſius agere, ſine contumelia & calumnia erit. Iam ergo inſpice te, ſpeculum habes, vide qualem te referat. Sed nec vlla iniuria fuerit, eiuſdem prorſus conditionis ho-

minem ac nationis tibi comparare: nec video quid prohibeat Stephano componere Franciſcum, Abbati Abbatem, Genoueſano Victorinum, Docto Doctorem, Beneficiato Beneficiatum Pariſiis, Gallum vtrumq; & in controuerſia Romanæ curiæ cũ Eccleſia Gallicana, verſatum. Sed ecce quàm diſſimiliter in re ſimili licet diuerſo tempore. Ille pro Gallis aduerſus Romanos ſentiebat & cenſebat, hic pro Romanis cõtra Gallos ſentit & cenſet. Ille pro Gallicanæ Eccleſię libertate ac pro iure regio aduerſus externos ſtrenuus agebat; hic pro exteris aduerſus antiqua Galliæ iura arduus mouetur & concurſat. Ille diſcordes Epiſcopos ſub vno Metropolitano reuocans ad pacem continere in offi-

cio nitebatur, hic concordes Doctores ſub vno Academiæ Rectore ad diſcordiam excitans ab officio auocat & miſerandum in modum perturbat. Ille conſacerdotes ſuos in Gallia contra externos propugnabat, hic pro exteris in eadem Gallia & alibi condoctores oppugnat. Ille minas belli Romanis obijciebat; hic poſt cenſuras ignes etiam Româ aduocat, ingerit, intentat. Ille Conſilium Epiſcoporum & Barones non paſſuros opponebat, in prouincia Turonenſi alter vt eſſet Metropolitanus, hic Conſilium Regis alit quos poterat interpoſuit & admouit vt inaudito ſtupendoq; modo Syndicus Theologiæ de ſua prouincia vi exactus deturbaretur, ſubrogareturq; ei alter. Ille retinebat in Gallia Epiſ-

copum Turon. Eccleſiæ ne etiam vocatus Romam iret, hic è Gallia conatur expellere Theol. facultatis Syndicum, vt nullo beneficio inuitatus Romam exultatum eat. Ille denique obfirmato animo conſtanter reluctabatur, ne vetuſta Regni iura immutarentur, Eccleſiaſticaq; politia maiorum obſeruatione ſtabilita (vbi aliâs de re tāti momenti quęſtio non vertebatur) noua fieret; hic pertinaci conatu oberrans curat & molitur vt noua & exotica alienæ potentiæ inſtituta in noſtros mores inducta ſenſim inſinuentur & inſueſcant, vnde ſtatus vtriuſq; politiæ ſacræ ſimul & prophanæ in hoc Regno inuerti queat & in alium transformari. Atque hæc ſi vera non ſunt vos profectò feciſtis nihil. Quò ſpectat & illud,

quod hoc biennio factum, an te authore ſit, non auſim aſſerere. Franciſcano, poſt cōfectos Theologici ſtadij curſus & certamina, laureando dies dicta dataq; fuerat ad coronam: ſed prius in domo Cluniaca ex compoſito ſtatutum, vt Baccalaureus pro Aulica reſponderet, propoſita de more in plures partes diſtributa quęſtione, in qua ſententiæ quædam ambiguo ſenſu intertextæ aut cōtextæ fuerant, vt aliter atq; aliter capi poſſent, verùm annotatis virgulis certiſq; diſtinctionibus adhibitis, antiqua facultatis Pariſienſis decreta impugnarent, & aduerſus ea militantes ſuſtinerentur loco publico, producto etiam in medium & ad eam rem faciente recētioris editionis libro. Hoc totum Romam, quò breui profecturus

ćturus erat ad Cõuentum generalẽ, frater ille nuncius debebat ferre & referre. Altèrcatum iam antè fuerat Carolo Caluo imperante pro communi Eccleſiarum Galliæ iure antiquo aduerſus primatum Anſegiſi Senenſis Epiſcopi, cùm ſuper eo alter Legatus domini Apoſtolici epiſtolam legeret in Synodo Pontigoni habita; *vt quoties vtilitas Eccleſiaſtica dictauerit, ſiue in euocanda Synodo, ſiue in aliis negotiis exercendis per Gallias & Germanias apoſtolicâ vice fruatur: & decreta ſedis apoſtolicæ per ipſum Epiſcopis manifeſta efficiantur: & rurſus quæ geſta fuerint, eius relatione, ſi neceſſe fuerit, apoſtolicæ ſedi pandantur: & maiora negotia ac difficiliora quæque ſug geſtione ipſius à ſede apoſtolica diſponenda & enucleanda quærantur. Pe-*

tentibus autem Epiſcopis vt eis permitteretur ipſam legere epiſtolam quibus erat directa, non adquieuit Imperator: ſed reſponſum quæſiuit ab eis, quid de his iuſſis apoſtolicis reſponderent. Quorum reſponſio talis fuit: vt ſeruato ſingulis Metropolitanis iure priuilegij ſecundum Canones & iuxta decreta ſedis Romæ Pōtificum ex eiſdem ſacris Canonibus promulgata, domini Ioannis Papæ apoſtolicis iuſſionibus obedirent. Et cum Imperator & Legati apoſtolici ſatagerent vt abſolutè Archiepiſcopi reſponderent ſe obedituros de primatu Anſegiſi ſicut apoſtolicus ſcripſit, aliud niſi quod prædictum eſt reſponſum ab eis extorquere non potuerunt: excepto quod Frotharius Burdegalenſis Epiſcopus quoniam à Burdegala ad Pictauos, indeque ad Bituricum fauore principis cōtra regulas ſe con-

tulit, per adulationem reſpondit quod Imperatori placere cognouit. Alio die poſtea: *Et lecta eſt à Ioanne Tuſcanenſi iterum epiſtola, iubente Imperatore, pro primatu Anſegiſi: & quæſita eſt ab Epiſcopis denuo inde reſponſio. Et reſpondentibus ſingulis Archiepiſcopis, quòd veluti ſui anteceſſores illius anteceſſoribus regulariter obedierunt, ita eius decretis vellent obedire: tunc faciliùs eſt illorum admiſſa reſponſio, quàm fuerat in Imperatoris præſentia. Et ſic iterum poſt multas contentiones de preſbyteris diuerſarum parochiarum reclamantibus ad Legatos apoſtolici, lecta eſt proclamatio Frotharij Burdegalenſis Archiepiſcopi, quia nō poterat conſiſtere, propter infeſtationem paganorum in ciuitate ſua, vt liceret ei Bituricenſem Metropolim occupare. Cuius petitionibus vnani-*

mitas Epiſcoporum nullatenus adquieuit. Poſtremò alio etiam die: *Iterum mota eſt interrogatio de primatu Anſegiſi: & poſt multas ab Imperatore & Legatis apoſtolici contra Epiſcopos querimonias habitas, tantum in nouiſſimo, quantum in principio Synodi exinde Anſegiſus obtinuit.* His initis, quæ ex Aimoino Monacho S. Germani Pratenſis retulimus, & praxi Eccleſiarum Galliæ contraria, nonnulli renouant & repetunt Anſegiſi primatum: ſed fruſtra (quia ſine re) & tantùm ad adulationem videntur facere. Non multo poſt ſuperiorem Synodum venit in Galliam Ioannes Papa, huius nominis viij. qui Trecis *generalem Synodum cum Epiſcopis Galliarum et Belgicarum prouinciarum agens, qualiter Lambertum & Adalber-*

tum, Formoſum quoque & Gregorium nomenclatorem et complices illorum Romæ excommunicauerit, relegi fecit in Synodo, & conſenſum in eadem excommunicatione quæſiuit: vnde qui affuerunt Epiſcopi petierunt, vt ſicut ipſe excommunicationem, quam fecerat, per ſcripturæ lectionem recitari fecit in Synodo; ita & eis concederet, vt per ſcripturam illi ſuam conſenſionem proferrent: & concedente ita fieri Papa Ioanne, in craſtinum Epiſcopi, diploma Papæ in Synodo porrexerunt. quod extat apud Aimoinũ poſt ita perſequẽtem: *Quod diploma Ioannes Papa ſuæ excommunicationi aſcribi fecit: & ſua manu confirmans ab omnibus Epiſcopis ſubſcribi fecit. Deinde ipſo iubente lecti ſunt in Synodo Canones Sardicenſis Concilij, et decretum Papæ Leonis de Epiſcopis ſedes*

ſuas mutantibus: ſed & Africani Canones ut non fiant Epiſcoporum tranſlationes, ſicut nec rebaptizationes vel reordinationes pro Frothario Burdegalenſi Epiſcopo; qui à Burdegala Pictauos, indeque ad Bituricenſem ciuitatem exilijſſe dicebatur. Et paulò poſt: *Frotharius autem & Adalgarius Epiſcopi attulerunt, in conuentum Epiſcoporum Papæ Joanni præceptum per quod pater ſuus Ludouica regnum tradederat: petentes ex ipſius parte ut priuilegio ſuo ipſum præceptum confirmaret. Tunc Papa Ioannes protulit exemplar quaſi facti præcepti à Carolo Imperatore, de donanda Abbatia S. Dionyſij Romanæ Eccleſiæ. Quod compilatum conſiliariorum Ludouici Regis,* Balbi nempè ſub quo hæc geſta ſunt, *à plurimis credebatur ut à Gozlino ipſam Abbatiam velut ex.*

ratione tollere & ſibi habere poſſet: & dicebat Papa Ioannes, vt ſi vellet Ludouicus Rex vt ſuper illius præceptum priuilegium faceret, ſuo præcepto illud patris ſui præceptum firmaret. Quod argumentum ſicut factio & non ratio imperfectum manſit. Iſta quidem ex Aimoino multa ſunt, ſed ideo adducta, vt planum fiat dubitantibus, quis Eccleſiæ Gallicanæ vſus priſcus fuerit, & quàm firma Pręſulum noſtrorum olim eſſet pro iure Canonum & ſuo defendendo libertas, annotetur. Audacius profectò Canonici Lugdunenſes ſuas Præbendas pro Gallis & comprouincialibus conſeruarunt S. Ludouico regnante & eo tempore quo Innocentius IV. Papa cogebat Concilium Lugdunenſe. De illis Matthæus Paris ita ſcripſit:

Eodem quoque tempore cum vellet Dominus Papa quibuſdam Præbendis Lugdunenſis Eccleſiæ vacantibus, quoſdam alienigenas conſanguineos vel affines ſuos inconſulto Capitulo introducere, reſtiterunt ei in facie Canonici Lugdunenſes, comminantes & cum iuramento obteſtantes, quod ſi tales apud Lugdunum apparerent, non poſſet eos vel Archiepiſcopus, vel Canonici protegere, quin in Rhodanum mergerentur. Nec ipſi qui beneficium fuerant accepturi, vltrà vſquam comparuerunt. Eo ipſo tempore vt idem author tradit. *Abbas S. Dionyſij cum Archiepiſcopalem adoptaret & ambiret dignitatem, emunctis ac extortis ab Eccleſia ſua multis librarum millibus dom. Papæ charitatiuè conferendis, in Rhomagenſem meruit ſublimari Archiepræſulatum;*

tum; hoc efficaciter prædeceſſore ſuo jam Cardinali, procurante. Hoc autem cum audiret Rex Frãcorum, ſingularis & ſpecialis Eccleſiæ S. Dionyſij œconomus & patronus, coegit dictum Abbatem, quem ambitionis redarguit, memoratam pecuniam aliunde mendicare. Memoratur ab eodem aliud ſummæ libertatis & nimiæ. *Fecit dominus Papa iterato excommunicare Imperatorem per Franciam. Et cum tale præceptum per ordinarios ſuos ad quendam Sacerdotem Pariſius inhabitantem deueniſſet, doluit, quòd oportuit eum ipſum Imper. excommunicare. ait in propatulo toti Parrochiæ ſuæ die ſolemni populosè: Audite vniuerſi. Accepi in mandatis, vt candelis accenſis & pulſis campanis in Imper. Fredericum excommunicationis feram ſententiam ſolemnem. cauſam autem*

ignorans, non ignoro grauem controuërſiam & odium inexorabile motum inter eos. Scio etiam quòd vnus illorũ alij iniuriatur, quis cui neſcio. Sed illum in quantum mea ſe extendit potentia excõmunico, & excommunicatum denuncio alterum iſtorum, videlicet ipſum qui alij iniuriatur, & abſoluo iniuriam patientem, quæ tam damnoſa eſt toti Chriſtianitati. Quod licet verbum leuitatis & more Francorum iocosè prolatum, ore multorum reuolutum eſt, longè lateque ventilatum. Sed dominus Papa de ſcurilitate & verbi leuitate, puniuit redargutum. quod non de vlla corporali pœna venit intelligendũ, ſed de duriori verborum increpatione. Notãdum & iſtud ex eodem Matthæo quod, vacante per annum & plures menſes poſt Calixtum II. ſede, Galli

fecerunt. *Per idem tempus*, ait, *miſerunt Franci ſolennes nuncios ad curiam Romanam ſignificantes perſuadendo præcisè & efficaciter, vt ipſi Cardinales Papam ritè eligentes vniuerſali Eccleſiæ ſolatium paſtorale maturius prouiderent : vel ipſi Franci propter negligentiam eorum, de ſibi eligendo & prouidendo ſummo Pontifice citra montes, cui obedire tenerentur quantocius contrectarent. Et hoc audacter ſignificabant, confiſi de antiquo priuilegio ſuo per Clementem beato Dionyſio conceſſo et obtento, qui conceſſit Apoſtolatum eidem Dionyſio ſuper gentem Occidentalem. Unde ipſi Cardinales quaſi quibuſdam ſtimulis hinc domini Imperatoris inde Frãcorum agitati, Romam conuenientes adierunt vt Papam eligerent in vnum ibidem congregati.* Subſecuta eſt inde paulò

poſt Innocentij IV. electio, qui Cardinales nondum duodenarium numerum excedentes, vt pileo vterentur roſeo & equo veherentur inſtituit, vt notauit Volateranus. Hæc contigerunt temporibus S. Ludouici. Sed vereor ne ſuſpecta fides habeatur Matt. Paris quanquam Monachi Albanenſis, in Angliamque (vnde illius ortus) remittatur; perinde ac altero ab hinc anno, nouæ doctrinæ hominibus, minus ſapere & ipſis fauere viſus eſt alter Paris noſtrâs Doctor Theologiæ, quẽ antiquitati Canonumq; regulis adhærentem & Parochis ſua iura iurè reddentem & aſſerentem, è cathedra S. Benedicti Eccleſiæ Pariſ. ne illic concionaretur, bello artificio & ſpecioſa miſſione in Picardiam, ô artes fratrum non

fraternas! ablegare voluerunt, abutentes (ni paulò poſt fraus patuiſſet) auctoritate facili, illuſtriſſimi & regij ſanguinis Principum primi. Hunc Principem, pro ea, qua eſt pietate in Deum; charitate in Galliam vniuerſam; beneuolentiâ in Academiam quam iuuit plurimùm oppugnatam, & cuius per eum ſua adhuc integra manent priuilegia, natum bono publico quis non videt, quis non ſentit, quis non experitur? Viuat felix, viuat in æternum glorioſus, & Rempublicam noſtram in omnibus ſuis partibus, officijs, ornamentis tam publicis quàm priuatis ſaluam eſſe velit & connitatur cuſtodiri. Bonifacius VIII. multa molitus aduerſus Galliæ libertatem, reperit Gallos, qui (ſalua eius reuerentiâ) contrà reni-

tentes pro ea ſteterunt: & conuentu Pariſijs habito Epiſcoporum, Abbatum (inter quos S. Victoris Abbas non poſtremus) & Theologorum aliorumq; communi conſenſu à Pontifice appellatum eſt ad futurum Cõcilium. Quia verò Præſules vocati Romam fuerant à Pontifice, ne eò illi proficiſcerentur Philippus III. Rex prohibuit & ne vlla efferretur pecunia. Acta totius huius controuerſiæ ex Bibliotheca Victorina prodierunt ante aliquot menſes. Succedente tempore & regno Caroli VI. ſchiſma luctuoſum diu turbauit Eccleſiã, quod tollendum ſtatim pij quiq; viri & orabant & ſuadebant. Cùm perduraret, *fuere duo Cartuſiani qui Romam conceſſerunt ad Antipapam Bonifacium, eum exhortantes, vti in*

Eccleſia vnio eſſet, prebere conſenſum et Regi Francorum ſuper hac re ſcribere. Qui valde aſſenſus eorum poſtulationi, egregiam fieri curauit epiſtolam & dictari, eamq; præfatis Cartuſianis tradidit. Hi venerunt in Franciam & Regi eam dederunt. Vidit Rex, legique iuſſit, ac delectatus eſt. In ea Bonifacius proferebat, facturum ſe omnia licita ad habendam in Eccleſia vnionem. Quod vbi reſciuit Clemens Papa capi Cartuſianos & incarcerari, tam per Vniuerſitatem quàm aliter admolitus eſt. Verùm Rex prohibuit, cauitque ne manus in eos mitterentur, néue vllum eis ſiue in corpore, ſiue in bonis adferretur impedimentum: & clementiſſimè Rex eos ſuſcepit et perquàm gratiosè. Continuò Clemens Papa miſit ad Regem cum diligentia, ſignificans præſto eſſe, vt ſchiſma om-

nibus modis ceſſaret, efficere. Tametſi dicebant plerique nihil eſſe præter fictionem, eumque intendere ne iàm fieret cōcordia, neq; eum conſenſurum niſi Papa ſemper eſſet; & multos proceres inſigneſque clericos in ſuam partem pertrahebat. Fiebant proceſſiones ritè & diligenter cum orationibus pro pace ac pro Eccleſiæ vnione. Propria fuit Miſſa inſtituta factaque, et ijs indulgentia, qui illam celebrarent et pro vnione Eccleſiæ precarentur. Hæc nos ex manuſcripta Gallicè Ioannis de Vrſinis hiſtoria, ad verbum expreſſimus, quæ ad annum 1392. ſcribebat. Adiungere ex eodem quæ adnotauit ad ann. 1394. Academiæ Pariſienſis ſplendor, & illius temporis Doctorum cenſoria libertas admonet & meretur. Sic infit. *Inter præfatum Cardinalem & Vni-*

et Vniuerſitatem ſuper vnione Eccleſiæ, diuerſitates extiterunt admirandæ, & propoſitiones valde & nimio duriores. Etenim qui ex Vniuerſitate erant, tradiderunt propoſitionem quam vidit Cardinalis et legit, atque ab eo reſponſionem valde rigoroſam habuerunt. Is præterea authoritate apoſtolica prohibuit ne huiuſmodi ſermonibus amplius vterentur: vnde illi minus bene contenti totis ſuis viribus proſecuti ſunt Eccleſiæ vnionem. Tunc ſcripſit Papa ad Regem, vt ad ſe veller Magiſtrum Petrum de Alliaco, & Mag. Guidonem de Cãpis ambo celebres in Theologia Doctores, mittere. Quibus cùm ea de re ſermo fieret, palam et apertè dixerunt ſe non ituros, quia perſonis ſuis timerent. Quando ergo vidit Papa eos qui ex Vniuerſitate erant, tam acerbos, ſibi eſſe putauit coniunctio-

nem cum Proceribus ijſque qui prope Regem eſſent, faciendam: & Nuncios miſit auro, argentoq; munitos ac rebus placentibus, ſpeciatim verò Duci Biturigum præſtari obſequium curauit, quo factum vt ille & Cardinalis ſocietatem ſimul inirent et quibuſdam ex Vniuerſitate minarentur. Conuenerunt hi Burgundiæ Ducem atque ſupplicarunt, perficere tantùm apud Regem vt audirentur; quod perfecit, & ita vt illi auditi fuerint fecerintque Epiſtolam quam Rex in Gallicum verti voluit, et factum fuit. Poſtea viſa re tota et conſiderata, interdictum fuit, de ea ac de iјs quæ contineret, ne loquerentur néue iјs omnino vterentur. Vnde perquàm malè affecti deliberarunt ea proſequi ſemper quæ continerentur Epiſtolâ præfata. Atque quoniam eos prohibere volebant, ceſſationes ipſi intima-

runt: & quidem ſe nonnullum ſentiebant habere quorundam propè Regem exiſtentium ferentiumque auxilium. In intimatione præfatarum ceſſationum præſens Cardinalis adfuit, ſed abſuit Biturigum Dux. Fidem iſta faciunt quouis tempore, vel etiam turbulentiſſimo, Galliam habuiſſe ſemper & Principes & alios pios ac beneuolos, penes quos, in re aduerſa, perfugiũ ijs fuerit hominibus, qui viâ regiâ & apertâ, & ab antiquioribus protrita pietatem Chriſtianam proſecuti ſunt, & veritatem (quæ ſepius odium parit) inuolutam, Gallicâ libertate euoluere non formidarunt. Pragmatica autem Sanctio, quæ primùm à S. Ludouico promulgata, & longo poſt tempore renouata reſtitutaq; à Carolo VII. fuerat quam ha-

buit cauſam, niſi vt eſſet Eccleſiæ Gallicanæ firmamentum aduerſus aulæ Rom. aucupia? Contra quam, cùm ſuprema contentione ageretur, doctiſſimus vir Pariſienſ. ſic patriã ſuam alloquens exclamabat: *Unde libertatem aut fiduciam Chriſtianiſſimam te vocandi, ſi non qua religione eximium nomen legemque pietatis tuæ teſtem comparaſti, eadem religione tu ipſa retinere vis? O plaudendum erratum hoſtibus tuis illis, qui hoc tibi felicitatis Regniq; fortaſſe Palladium, velut cœlo delapſum munus inuident, quo vel ablato, vel intercidente, tu perinde fortunata eſſe non potes.* Vaticinium hoc res verũ probauit. *Atenim*, vt Pap. Maſſonus verè ait, *euentus docuit, diſciplinam Eccleſiaſticam, quæ Pragmaticæ beneficio in Gallia ſtare poterat, cum ea*

concidiſſe. Cui malo fuiſſet itum obuiam, ſi conſtans & vnanimis amor iuris noſtri conſeruandi, tãtum in principibus viris, quantum in Academicis tunc, conſtitiſſet. Verum enimuerò quàm diuerſæ ſunt diuerſorum hominum & temporum rationes! Priſca inſtituta Eccleſiæ Gallicanæ, & tandiu probatos mores fidei Catholicæ nulla in parte repugnantes perturbari, peruertere, & velle tolli nunquam æquis auribus audiuiſſet S. Gregorius Magnus. qui interroganti Auguſtino (quem ad conuertendos Anglos miſerat) cur altera conſuetudo Miſſarum in ſancta Rom. Eccleſia, atque altera in Galliarum teneretur, ita reſpondit, vt teſtis eſt venerabilis Beda: *Nouit fraternitas tua Romanæ Eccleſiæ con-*

ſuetudinem, in qua ſe meminit nutritum. Sed mihi placet, vt ſiue in Romana, ſiue in Galliarum, ſeu in qualibet Eccleſia, aliquid inueniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſolicitè eligas, et in Anglorum Eccleſia, quæ adhuc ad fidem noua eſt, inſtitutione præcipua, quæ de multis Eccleſijs colligere potuiſti, infundas. Non enim pro locis res, ſed pro bonis rebus loca amanda ſunt. alibi: *In Galliarum Epiſcpos nullam tibi authoritatem tribuimus.* & inferius: *Ipſe autem authoritate propria Epiſcopos Galliarum iudicare non poteris, ſed ſuadendo, blandiendo, bona quoq; opera eorum imitationi monſtrando, prauorum mentes ad ſanctitatis ſtudia reforma. Quia ſcriptum eſt in lege: Per alienam meſſem tranſiens, falcem mittere non debet: ſed manu ſpicas conterere*

& manducare. Falcem enim iudicij mittere non potes ea in ſegete, quæ alteri videtur eſſe commiſſa. Is eſt Gregorius, qui Brunechildæ Reginę rogāti pro Siagrio Auguſtudunenſi Epiſcopo pallium, reſcribebat: *fratri & coepiſcopo noſtro Siagrio pallium dirigere ſecundum poſtulationem veſtram voluimus: propter quod & ſereniſſimj domini Jmperatoris, quantum vobis Diaconus noſter qui apud eum reſpōſa Eccleſiæ faciebat, innotuit prona voluntas eſt, & concedi hæc omnino deſiderat.* deinde inferius: *vnde neceſſe eſt, vt frater coepiſcopus noſter Siagrius facta cum aliquantis ſuis Epiſcopis petitione hoc ſperare debeat.* Et ipſi Siagrio, ſcribens de vſu pallij inquiebat: *Quod tamen ita tibi dandum eſſe decreuimus, ſi prius per Synodi definitionem emen-*

dari promiſeris, quæ corrigenda mandauimus; Erāt autem illa, Simonia & ſacræ indignorum promotiones ad dignitates Eccleſiaſticas. Cæterùm concedebatur ita pallium, *vt Metropolitæ ſuo per omnia loco & honore ſeruato, Eccleſia ciuitatis Auguſtodunæ poſt Lugdunenſem Eccleſiam eſſet.* Is eſt Greg. qui Dominico Epiſcopo Cartaginenſi ſcribebat: *ſicut noſtra defendimus, ita ſingulis quibuſcunque Eccleſijs ſua iura ſeruamus.* Is etiam Gregor. qui Eulogio Alexandrino hæc ſcribebat: *Indicare quoque veſtra beatitudo ſtuduit, jam ſe quibuſdam non ſcribere ſuperba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt; & mihi loquitur dicens: ſicut iuſſiſtis. Quod verbum iuſſionis peto à meo auditu remouete: quia ſcio quis ſum, qui eſtis. Loco enim mihi fratres*

tres eſtis moribus pares. Non ergo iuſſi, ſed quæ vtilia viſa ſunt, indicare curaui. Non tamen inuenio veſtram beatitudinem, hoc ipſum quod memoriæ veſtræ intuli, perfectè retinere voluiſſe. Nam dixi nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid ſcribere debere. Et ecce in præfatione Epiſtolæ quam ad meipſum, qui prohibui, direxiſtis ſuperbæ appellationis verbum Vniuerſalem me Papam dicentes, imprimere curaſtis. Quod peto dulciſſima mihi ſanitas veſtra vltra non faciat, quia vobis ſubtrahitur, quod alteri pluſquam ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro proſperari, ſed moribus. Nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus honor eſt fratrum meorum ſolidus vigor. Tunc ego verè honoratus ſum, cum ſingulis quibuſq; honor

debitus nō negatur. Si enim Uniuerſalem me Papam veſtra ſanctitas dicit, negat ſe eſſe quod me fatetur eſſe vniuerſum. Sed abſit hoc. Recedant verba quæ vnitatem inflant, charitatem vulnerant. Et quidem in ſancta Calcedonenſi Synodo atq; poſt à ſubſequentibus patribus, hoc deceſſoribus meis oblatum veſtra ſanctitas nouit. Sed tamen nullus eorum vti hoc vnquam vocabulo voluit: vt dum in hoc mundo honorem ſacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum cuſtodirent ſuum. Nonne verior fides maiorq; his eſſe debet, quàm fœdis recentiorum, Benecia per fas & nefas aucupantium, adulationibus? Iniurioſi ſunt qui tanto Pontifici fictitium tribuunt centonem diuerſis hinc inde partibus ijſque omnibus ferè falſis conſarcinatum, S. Medardi priui-

legium appellant; ex quo fabulas ſuas Regum damno, & ipſorum ſimul ſubditorum periculo commentantur crudeliter. Nihil tale vnquã Gregorius animo volutauit: qui totus erat in eo, vt ſemper pacis amans & author videretur ac eſſet; & quæ fierent in Eccleſijs ea omnia regulis Canonum conuenirent & obſeruarentur Concilia, *quia*, vt ipſe Epiſcopis Conſtantinopol. Alexandr. Antioch. & Hieroſol. ſcribebat, *dum vniuerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſoluere quos religant, aut ligare quos ſoluunt.* Quas nouitates ille inuexit in diſpendium juris communis, & quos monachos ſeu religioſos cum ſeptem Monaſteria de ſuo, & in ſuo extruxerit, ordinariæ iuriſdictioni Epiſcoporum

(qua de re S. Bernardus jam ſuo tempore querebatur) ſubduxit? imò verò veteris Eccleſiæ reformationem in moribus, quis eo ardentius cōcupiuit, & præcepit frequentius cogi per varias prouincias Synodos, vt ex prǽſcripto antiquorum Canonum vita clericorum regeretur? At verò quid mirum, ſi S. Gregorius tantopere ſatagebat Canones vbiq; obtinere & ſeruari, ac ſecundum ea Romana etiam ſanciri decreta, *cùm ex authoritate Canonum Rom. Eccleſia* cui præerat, *primum teneat locum inter alias?* quod illis ipſis verbis teſtatum reliquit Petr. Damianus eiuſdem Eccleſiæ Cardinalis ſeculis ferè quinq; poſterior Gregorio. Hîc obſeruatu dignū eſt, ſanctum Pōtificem à nouitatibus abhorruiſſe Eccleſiaſticis &

Politicis adeò, vt nec ſibi, nec alijs delatos præter morem honores, ferret neq; pateretur abolitis veteribus inſtitutis induci noua. Quapropter ciuitatibus Eccleſijſque vacantibus & viduatis Epiſcopos, Preſbyteros, Diaconos ſede propria exules, & loco ſuo per vim deiectos curabat in illis incardinandos. Eiuſmodi primùm & propriè dicti Cardinales, alteri nempe Eccleſiæ regendæ ſuffecti cum ipſius cleri plebiſq; conſenſu, nec aliter: atq; id ſolummodò cùm in ea Eccleſia in qua fuerant priùs ordinati & inde expulſi munus ſuum obire illis non liceret. quod manifeſtum eſt ex ipſius Greg. Epiſtolar. Regiſtro. Sic in Gallia factum legimus apud Flodoardum *de Actardo Nanetēſi Epiſcopo, qui expulſus à quodam Brito-*

num duce in vacante Morinenſi Eccleſia aliquandiu demoratus, petente clero ac plebe prouinciæ Turonenſis et conuenientibus Epiſcopis, in eadem Metropoli fuit incardinatus. Præterea vt Ioan. Diaconus notauit, *antiquiſſimum Eccleſiaſticæ conſuetudinis ordinẽ Gregorius ab Apoſtolis traditum & ad ſua vſq; tempora ſolenniter conſeruatum, adeò ſtudioſiſſimè retinebat, vt nullum quantalibet ſanctitate, ſapientia, nobilitatéue polleret, anterioribus clericis in conuentu, conſeſſu, ſtatione, ſiue ſubſcriptione præponeret.* Iam verò ius illud antiquum & commune ſeruatum diu & hactenus in Eccleſia Gallicana (quod eius libertas eſt, cõtra quam nouæ praxeos authores & fautores ſubinde muſſitant) optare adhuc retineri, reſtitui, atq; obſeruari cum

vſu legitimo, quæ inuidia eſſe debet? præſertim cùm diſpenſatio, niſi vrgente neceſſitate, aut ſumma cum vtilitate cõiuncta omnis eſſe periculoſa videatur & timenda. Extra has duas cauſas, *non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt;* dicebat S. Bernardus de Conſider. ad Eugenium Papam. Ex paruis ortæ initijs res in immenſum creſcunt, & in ſacris cõtra veteres nõ ſine diuino numine inſtitutas leges facere eaſq; immutare temerè, nec Religioni, nec Reip. tutum. *Nam ſi prauæ rei aditus antequã diu pateſcat non clauditur, vſu fit latior, & erit conſuetudine licitum, quod ratione conſtat eſſe prohibitum.* vt ipſemet Gregorius ſcribebat Siagrio Auguſtud. Epiſcopo poſtquam ſic incepiſſet: *Si in rebus ſecularibus ſuum cuiq;*

ius et proprius ordo ſeruandus eſt: quantomagis in Eccleſiaſticis diſpoſitionibus nulla debet induci confuſio, ne ibi diſcordia locum inueniat, vnde pacis debent bona procedere. Aduerſa his omnino conſilia & tr̃aquillitati repugnantia calamitatum, quas poſtremo ſeculo Gallia noſtra pertulit, memoria, reſq; exigunt adſcribi ex Commentarijs Româ miſſis, quod pleriſq; non notum, eſt tamen certiſſimum. Henricus Magnus cùm ab hæreſis labe qua fuerat polutus, tãdem per pœnitentiam demore purgatus & abſolutus à Prouinciæ (in qua vrbs Regni caput ſita) Metropolitano, ritéque eſſet in Eccleſiam admiſſus; gaudẽtibus in cœlo angelis, & in terra hominibus bonæ voluntatis pacem accipientibus; expetijt prçterea ſibi ſuiſq; bene-

benedictionem à S. Petri Apoſtoli ſucceſſore totius Eccleſiæ vniuerſalis Primate, eamque per Legatos hac decauſſa Romam miſſos Chriſtianiſſimè rogauit. O quantas difficultates, quotque obices poſitos! non à clementiſſimo quidem Clemente VIII. cuius memoria in benedictione ſit, ſed purpuratorum ordine, in quo præualebat Hiſpanica factio: inuitus hæc, ſed quia res cogit, replico. Igitur Henricus primò indignus prorſus videbatur ea Romanæ maieſtatis gratia, quia Rex diceretur cùm nō hæreticus modò ſed & relapſus, & iure Regni priuatus ac depoſitus ipſis eſſet: deinde abſens præſentem ſe, rebus ſuis relictis, non ſiſtebat Romæ: tum ex omnibus Regni Galliæ ordinibus prædes quoſdam

prius dãdos oportere Magnates, necnon ex vrbe Pariſienſi ciues aliquot primores qui ſponderent Regis nomine & ſtipularentur eum in fide Catholica perſtiturum ſemper, aliter iure Regni & Regno exuendum, alterumque ipſius loco ſtatuendum: Poſtea abſolutionem ab Epiſcopis Galliæ datam, eſſe nullam, illoſq; inhabiles ad res ſacras, ideo reſtituendos. Quæ omnia à Legatis tam cõſtanter reiecta ſunt quàm illis inſolenter fuerant obiecta. Poſtremò cùm Rex more maiorum ſuorum nec aliter ſedi Apoſtolicæ obſequium præſtaret, petitum & appetitum fruſtra, vt Legati pedibus ſummi Põtificis demitterent & ſubijcerent, quæ poſtea capiti ipſorum imponeretur, Coronam, indicem & argumen-

tum accepti à ſede Rom. Francorum Regni. Quorſum iſta pertinerent, ſi conferantur cum libris ab exceſſu Henrici Magni editis, quos Curia Parlamentalis & poſtremò Prætoris vrbani ſententia flammis damnauit, & exuſſit, nemo non videt, qui talpa non ſit. S. Gregorius M. accepto nuncio de conuerſione ad orthodoxam fidem Recharedi Hiſpaniæ regis, qui antea Arianus, operâ Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi, in piorum numerum perductus eſſet, & in Eccleſiam ſuſceptus, ſummopere lætatus eſt ſcripſitq; eidem Leandro, ac inter cætera: *Explere*, inquiebat, *loquendo nullatenus valeo gaudium meum, quòd communem filium Recharedum glorioſiſſimum regem ad Catholicam fidem integerrima agnoui deuotione conuerſum. Hu-*

ius dum mihi per ſcripta veſtra mores exponitis, amare etiam quem neſcio, feciſtis. ſubiecta deinde breui admonitione ad mores pertinente addit: *In vna fide, nihil officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diuerſa.* Sic ille; qui aliquantò poſt Recharedo ſcribens poſt multa ſub finem epiſtolæ hoc dat conſilium: *Hortor, vt veſtra excellentia ſuis moribus congrua diſponat, & quæque ad pacem pertinent ſtudioſè peragat, vt regni veſtri tempora per longa ſint annorum curricula in magna laude memoranda.* Quæ verba quidni etiã ſibi dicta putet & interpretetur Gallia pro ſe, vt nimirum & ſuis antiquis moribus ac inſtitutis ſemper inhærens agat, & quæ pacis ſunt ſtudia proſequatur & foueat? Sed enim idem Gregorius Theodorico Regi Francorum

cum ſcriberet ſimile conſilium probauit dicens: *Et valde laudauimus, quia et præſentia ſapienter ſicut decet attenditis, & ſic munire futura ſempiternæ pacis interuentu inter vos & Rempublicam feſtinatis, vt vnum facti, regni veſtri firmitatem in perpetuum extendere ſalubriter poſſitis. De quibus ſuccedenti vos tempore, quæ Deo fuerint placita nunciamus. Nam nos quicquid vtile, quicquid probatur eſſe pacificum deſideramus, & vt fieri valeat ſtudemus.* Quò tu, niſi etiam ſpectes atque cum cęteris tua conferas cõſilia, nec beatũ Pontificem imitaberis & boni vtiq; ciuis partibus fungi, numquam à pijs veriſq; Gallis exiſtimaberis. Et quomodo pax niſi domi ſit, & concordiam ames, foris pacem cõciliabis, atq; à recto veritatis trami-

te & ſalutis, reduces in viam aberrantes? quos lenitate & clementia inuitatos retrahere & ad Eccleſiam perducere, quãtum fieri datur, & charitas & fuſus pro communi omniũ ſalute ſanguis Chriſti exigit ac poſtulat. Eos enim, ait Greg. vbiq; ſanctus & ſummè pacificus, Petro Epiſcopo Terracinenſi, *qui à religione Chriſtiana diſcordant, manſuetudine, benignitate, admonendo, ſuadendo, ad vnitatem fidej neceſſe eſt congregare: ne quos dulcedo prædicationis et prætentus futuri iudicis terror ad credendum multare poterat, animis & terroribus repellantur.* Hoc licet de Iudæis, de quibus erat tunc quæſtio, dictum ſit; nihilominùs tamen de quibuſcunq; alijs non rectè de fide ſentientibns intelligere par eſt. Habent in ſuperiori-

bus fusè ſatis pro noſtro inſtituto Academiæ perturbationis authores & Galli pręſertim patriæ ſuæ vel parum ſtudioſi vel infenſi, quæ illos ſuis, & alienis expreſſos coloribus graphicè reprę-ſentent: quęque ipſos ex proprijs factis & ex aliorum iudicio (ſi quid authoritatis debetur antiquitati) remordeāt. Vna ſupereſt expoſtulatio quam cōmunis parens noſtra Gallia vix diſſimulare poteſt. Eſſe dicuntur nonnulli habiti gratioſius cęteris, diuites, honorati, qui tamen ab eius quę illos extulit quales ſunt, charitate diuelli diſtrahique ſe ſinunt, alij honorum ſpe, alij Beneficiorūm expectatione, alij denique penſitationum redemptione remiſſionéue; atque his rebus vel ſingulis, vel coniunctis ſimul, inde-

corè permoti, ac oculis conniuentibus, annoſam Eccleſię formā prætcrirj, cōmunis iuris vetuſtatem abrogari, & Galliæ dignitatem crebris adinuentionibus violari & fœdari ſuſque deq; habent. Et verò ſunt quorum vocibus percuſſi Principalium palatiorum parietes perſonuerunt ad aures noſtras vſque, Octodecim millium ſibi gratiam (nec diu eſt) à Romana curia factam. An inter eos actum antea ex illa iuris ciuilis formula, quæ præſcriptis verbis dicitur, *do vt des, facio vt facias?* Tullij eloquentiæ & libertatis Rom. aſſertoris ſententia eſt hîc accommodatiſſima: *Chari parentes, chari liberi, propinqui, familiares: ſed omnes omnium charitates patria vna complexa eſt: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere*

petere ſi ei ſit profuturus? Contra hæc haud quicquam iuuerit aduocatas protexere ſpirituales cauſas, & violentas repetere interpretationes; quæ meticuloſis ſæpe ſæpius obijciuntur, & ambigua diſtinguere non valentibus aut compoſita diuidere intenduntur. quaſi de imminuta Chriſti diuina Majeſtate controuertatur. Abſit. Illi deo omnis honor & gloria in ſecula ſeculorum: deinde ſecundum eum & ſub eo, hominibus ſua, pro cuiuſq; loco & merito, iura maneant illibata, ſpiritualia ſpiritualibus, & temporalia temporalibus impermixtim. Concludit tandem Gallia his Iſaiæ Prophetæ verbis: *Redite præuaricatores ad cor: recordamini prioris ſeculi.*

Nunc veniamus A.V. ad aliam

vitæ melioris æternæque parentem, quæ tibi imprimis per os regij Pſaltæ occinit in hũc modum: *Inquire pacem et perſequere eã.* Eccleſia autem eſt quam hîc intelligo, cuius cùm filius ſis matris benigniſſimæ, non potes cum fratribus tuis, ſine illius offenſione & iniuria contentioſè rixari. Hi quippe eodem etiam patre Christo geniti, tecum eadem ipſius ſponſę vbera ſugunt, eodemque lacte nutriuntur. Non eſt vnius fratris, alteros fratres è ſinu cõmunis matris, illâ inuitâ, deijcere; quæ omnes pari amore cõplectitur & confouet, nullumq; vnquam inuitum & permanere volentem abegit à ſe, quantumuis altero ſuadente. Quod ſi aliqui ſunt maiores natu, proindeque de parentum beneuolentia

maiore beneficentiaq; adblandiri ſibi videantur & gloriari, non eſt tamen quòd minores ſe contēmnant, putentq; communi eos hæreditatis ſorte poſsè excludere, vel ijſdem dominari profano more debere. A parentibus quicquid iuris eſt liberis relinquitur; non à fratre fratri traditur in Eccleſià, vt tãquam non ab ea, ſed ab illo habeatur; quæ ſic in eos quos genuit affecta eſt vt omnibus parià proponat & velit, nempe bona æterna per charitatem non fictam obtinenda, contrà verò per diſſentiones & iurgia nunquam conſequenda. Sunt autem hæc bona nimis magno redempta pretio, vt quiſquis exiſtimet ſibi ea poſſe cōparare, aliâ viã quàm quâ nobis præiuit Chriſtus Dominus, qui illa ſuo ſanguine ac-

quiſiuit. Ipſe primus protriuit iter, & quod fecit, faciendum quoq; diſcipulis ſuis, cõſequenter & ijs qui eorum loco ſunt, ſignanter ac diſertis verbis pręcepit. *Si ergo*, inquit, *ego laui pedes veſtros Dominus & magiſter, et vos debetis alter alterius lauare pedes. Exẽplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis, &c. Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. Maiorem hac charitatem nemo habet vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Apoſtolus itidem monebat Epheſios: *Eſtote ergo imitatores Dei ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem et hoſtiã Deo.* Idem ad Timotheum ſcribebat; *Iuuenilia deſideria fuge,*

ſectare verò iuſtitiam, fidem, charitatem, pacem cum ijs qui inuocant Dominum de corde puro. ſtultas autem & ſine diſciplina quæſtiones deuita ſciens quod generant lites. Seruum Domini nõ oportet litigare, ſed manſuetum eſſe erga omnes. Hęc vera Chriſtianè viuendi norma eſt, quam Chriſtus Dominus omnes docuit ad illum accedentes, leni priùs voce vocatos & lubentes, non externa ſua aut aliorum vi coactos. *Diſcite à me* (inquiebat) *quia mitis ſum & humilis corde. Iugũ enim meum ſuaue eſt & onus meum leue.* Quinimò ne ij malè multarentur à quibus iniuriâ affectus indigniſſimè eſſet, prohibebat. hinc correpti aſperiùs Iacobus & Ioannes Apoſtoli optãtes ignem mitti de cœlo, quo peruerſa Samaritanorum gens conflagraret.

Neſcitis, dixit, *cuius ſpiritus eſtis. filius hominis non venit animas perdere ſed ſaluare.* Præmonuerat iam nõ amicos modò diligendos eſſe, ſed etiam inimicos eiſq; benefaciendum. Quod tandem ſanguinis ſui cruore in cruce, cui ſuffixus fuit, effuſi ſubſignauit pro ipſis crucifigentibus eum clementiſſimè precatus: *Pater dimitte illis.* Hæc vt veritatis ſunt ſempiternæ; ſic & authoritatis; vt ab omnibus in omnes, & ante alios ab ijs qui animarum curam ſuſceperunt, exerceantur; nec affectu tantùm ſed effectu magis, quouis tempore & loco. Nam vt ait Apoſtolus ad Hebræos: *Jeſus Chriſtus heri & hodie: ipſe & in ſecula. doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci*. Ad iſta nunc, quæſo, appoſita tãquam ad lydium lapi-

dem probentur & expendantur quæ ſunt facta dictaq; in Academia concitanda perturbandoque ordine Theologico. Si conſentanea ſint, iudicium maneat penes Sapientem qui dixit; *Sex eſſe quæ odit Dominus & ſeptimum, deteſtari animam eius, quod eſt, ſeminare diſcordias inter fratres:* vel de re tota pronunciet alter plus quam Salomon, quo naſcente pax hominibus annunciata & data; quiq; diſcipulis ſuis ante & poſt mortem ſuam identidem pacem dabat; *qui vnanimes facit habitare in domo*: deniq; qui poſuit *pacem* fines Eccleſiæ. Atq; hęc quæ ex ſacris eloquiis congeſſimus ſcire, legere, tractare, etiam verboſiùs & cum plauſu cõcionari ad populum in Eccleſiijs; foris tamen & domi aliter ſuas ſubducere rationes atq;

viuere, vera Chriſtianæ pietatis fideiq; profeſſio etſi tolleret inuita, at non probat tamen, nec vnquã rectè fieri probabit. Quamobrem Eccleſia graui exinde dolore angitur: & quòd cùm nimis multos ab ambitioſis humiliùs depreſſa, ferre cogatur clericos Chriſti & Apoſtolorum charitatem, patientiam, paupertatem verbo tenus aliquando egregiè commendantes Laicis; ipſi nihilominus per lites, per ambitus aulicos ac ſcandala, per animarum jacturam pereuntium, ac per illicitas pactiones diuitijs inhiare non deſinunt, totoſq; Beneficiis, vt ditentur beati, & comitatu luxúq; diffluant, ſe dedere cumulandis, atq; Prioratibus Abbatias, Epiſcopatuſq; ſuperſtruant: adeò vt ſi dignis quibuſq; (vt oporteret)

ret) Beneficia redderentur, quot quantiſq; locis moueret

—cornicula riſum
Furtiuis nudata coloribus?

Dolet itaq; mater ſpiritualis non ſe, ſed ſuas appeti diuitias præpoſtero affectu & illaudato vſu ad lauticias, & ad ſplendidiorem ſtatum; nō vt perſolutis debitè pro animarum ſalute Miniſterij officijs, quæ reliqua ſuperſunt in alendos egenos ſumantur:

—datur nullis nunc niſi diuitibus.

Fama vulgatur jam ferè ad Centum millia aureorum opes accedere Congregatorum & excreſcere. De ſpecioſi nominis ſocijs exploratum, nihil eſſe quod magis fugiāt & minus curent, quàm Chriſtum Ieſum imitari in hac parte vt non multa poſſideant. Si quid ille ſeruator ſoli habuit, aut

prædiorum vrbani vel ruſtici, nõ intelligo quid ſonent hęc verba S. Euangeliſtæ Matthæi. *Et accedens vnus Scriba, ait illi: Magiſter ſequar te quocunque jeris. Et dicit ei Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis nõ habet vbi caput ſuum reclinet.* At verò ijs quî ab illius ſalutaris nominis appellatione præferunt ſe alijs Eccleſiaſticis & gloriantur, non ſufficit in vno Collegio quatuor aut quinque, in alio ſex aut ſeptem, alibi octo aut decem, alibi duodecim aut plurium Librarum argenti millium reditus annuus, niſi plura adhuc habeant ſi poſſint. Flexiani Collegij fructus in annos ſingulos niſi jam multum excedant Viginti millium ſummam, neſciunt computare qui res illorum penitus norunt

& partim egerunt. Ex Abbatijs tribus, in cuius vel minima vidimus olim quinq; aut ſex, vbi ne vnus quidem jãdiu ſupereſt, Religioſos officium Eccleſiaſticum canora voce quotidie recitantes: ex Priorátibus pluribus cenſibuſque aliũde annexis fructus iſti ad eos redeunt. Adde penſiones pro ratione loci regioniſque magnas Scholarium, quos domi ſuæ incluſos alunt, docent, ritibuſque ſuis ſimul informant. Boni tamen iſti familiæ patres egẽt, nec habẽt vnde Eccleſię Collegij ſui tectum & concamerationes abſoluãt imponantq; Flexianæ Luparæ coronidem, niſi coronatorum aureorum aliquot millia ex coronario regis auro, corrogent, & ex ea ærarij pecunia quæ publicis ſubſtructionibus regijſque ædificiis

deſtinata eſt, iam quinquies mille coronatos corraſiſſent expectantes, hoc anno, itemq; ſequentibus ſingulis totidem ſub eo colore percipere; interim dum Collegium Pariſienſe Regium derelinquitur opere nõ procedente imperfectum, & ferè à fundamentis extruendum. De litibus, quibus Tribunalia iudicũ in prouinciis & hîc perſtrepunt, inter eos motis & parochos, quorum in parochijs habent fundos & poſſeſſiones, cumq; ſuis operũ redemptoribus, dicere nihil attinet. Pluris facio recitare Saluiani Maſſilienſis Preſbyteri verba de Gubernat. Dei: *Iubet*, inquit, *Chriſtus ne litigemus. Quis iubenti obtemperat? Nec ſolùm iubet, ſed intantum hoc iubet, vt ipſa nos de quibus lis eſt relinquere iubeat, dummodo litibus exuamur.*

Si quis enim, inquit, voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, relinque illi et pallium. Interrogo qui ſint qui ſpoliantibus aduerſariis cedant: imò qui ſint qui aduerſarios ſuos non ſpoliare conentur. Diuitiæ bonæ ſunt, ſed ſi abuſus illarum ſit, vel appetitio nimia aut auara, aſſecutioq; doloſa, & arte veteratoria hæreditates captentur, vel aliena inuitis poſſeſſoribus quâuis ſpecie vſurpentur, vix ac ne vix quidem id ſine graui crimine eſſe poteſt. Et crimen in Clericis, in Religioſis, in reformationem profitētibus maius ac grauius ſine dubio eſt; cùm ij integrioris, abſtinentioris publicè & priuatim, deniq; exemplaris facem vitæ præferre debeāt Laicis. Quid de clericis noſtri ſeculi aulicis & religioſis diceret

Saluianus ſi reuiuiſceret, cum de omnibus Chriſtianis ita loqueretur: *Ex hoc ipſo vtiq; deteriores ſumus, ſi meliores non ſumus, qui meliores eſſe debemus. Criminoſior enim culpa eſt vbi honeſtior ſtatus: ſi honoratior eſt perſona peccantis, peccati quoq; maior inuidia.* poſtea: *nos qui Chriſtiani Catholici eſſe dicimur, ſi ſimile aliquid barbarorum impuritatibus facimus, grauius erramus. Atrocius enim ſub ſancti nominis profeſſione peccamus. Vbi ſublimior eſt prærogatiua, maior eſt culpa.* Deinde: *Imò cauſam noſtram hoc magis aggrauat, ſi deteriores ſimus et meliores, eſſe dicamus. Qui enim (inquit Apoſtolus) ſe exiſtimat aliquid, cum nihil ſit, ſeipſum ſeducit. Opus autem ſuum probet homo. operi ergo noſtro debemus credere, non opinioni; rationi non libidini; veritati, non*

voluntati. Meminerint qui clericalem vitam amplectuntur propter Eccleſiæ bona temporalia, & quotquot ſiue religioſi, ſiue alij ſint, qui iis plus æquo ſeu Communitatis nomine, ſeu priuato inſeruiũt, huius Salomonis ſententiæ: *Non proderunt diuitiæ in die vltionis, iuſtitia autem liberabit à morte. Iuſtitia ſimplicis diriget viam eius.* Hûc ſpectat quod S. Gregorius ſcribebat Mariniano Rauennenſi Epiſcopo: *Redemptor noſter à ſacerdotis officio non quærit aurum, ſed animas.* Chriſtus præcepit apud S. Matth. *Nolite ſoliciti eſſe, dicentes; quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Idem præceptor apud eundem etiam docuit & ſic nos agere iuſſit: *Omnia quæcunque*

vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. hæc eſt enim lex & prophetæ. Mandata hęc Chriſti ſunt, quæ *fideliter ſeruare, Chriſtiani hominis fidem eſſe* aſtruit Saluianus, & eum *infidelem, et Chriſtum non credere,* ait, *qui Chriſti mandata conculcat, ac per hoc totũ in id reuolui, vt qui Chriſtiani nominis opus non agit Chriſtianus non eſſe videatur. Nomen enim ſine actu atque officio ſuo nihil eſt. Nam ſicut ait quidam in ſcriptis ſuis: quid eſt aliud principatus ſine meritorum ſublimitate, niſi honoris titulus ſine homine; aut quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamentum in luto? Itaq; vt iiſdem etiam nos verbis vtamur, quid eſt aliud ſanctum vocabulum ſine merito, niſi ornamentum in luto? Sicut etiam per diuinas literas ſacer ſermo teſtatus eſt, dicens: Circulus aureus in naribus*

bus ſuis, mulier pulchra & fatua. Et in nobis itaque Chriſtianum vocabulum, quaſi aureum decus eſt, quo ſi indignè vtimur, ſit vt ſues cum ornamento eſſe videamur. Dixerat antea: *Ipſa Dei Eccleſia, quæ in omnibus eſſe debet placatrix Dei, quid eſt aliud quàm exacerbatrix Dei; aut præter pauciſſimos quoſdam, qui mala fugiunt, quid eſt aliud penè omnis cœtus Chriſtianorum, quàm ſentina vitiorum?* Flebilibus has vocibus exerit querelas Eccleſia (vtinam audiãtur cum fructu, & vt pacatò animo relata ſunt accipiãtur) dum amore languida ſponſum ſuum candidum & rubicundum proſequitur arctiùs eum amplexatura, quantum poſſe dabitur, & quem quaſi auerſum ſic cõpellat: *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua, vox*

dulcis, et facies tua decora. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Nam vinea noſtra floruit. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui paſcitur inter libia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Hæc Cantici, rebus Eccleſiæ Gallicis accommoda aptentur; non ineptè forſitan quadrabunt: & multa quæ à multis, maximè verò à nouatoribus non parui fiunt, æqua lance expenſa ſi accuratiùs conſiderentur, non quantum in ſe coloris habent, & tantum ponderis ſemper habere videbuntur. Cum Angliam Henricus II. regeret eius Regni Eccleſia in grauem efferbuit perturbationem Epiſcopis, alijſq; clericis diuerſis diuerſum ſentientibus de imminuta aut ſublata in multis Eccleſiaſticorum tẽporali iuriſdictio-

ne ac libertate. Actum hinc cenſuris, & pars altera pro ſuo iure tuendo ad Apoſt. ſedis Rom. auxilia confugit. vires coniunctæ & exertę in ſuſpenſiones aduerſarię partis, ita tamen vt de Rege nihil mandaretur. Malis vtrinq; pugnatur & cum aliquorum exitio, imò verò glorioſa paſſione Thomæ Cantuarienſis Martyris. Re nondum tam exaſperata, qui erãt à ſanioribus & iuſtitiâ potioribus, conſuluerunt Ioan. Sareſberiẽſem (qui tunc agebat in Gallia fuitq; Epiſcopus Carnotenſis poſteà) quid ſibi videretur, & reſcriberet. Inter alia hæc ſcripſit: *Nec hoc dixerim, quod Eccleſiam Romanam ſpei noſtræ fundamentum arbitrer ſtatuendum, ſed ipſum ſolum ſuper quo & illa fundata eſt, & in quo quælibet opera fideliter radicata con-*

ualeſcit ad fructum, & cõſummatur in gloria. Ille nobis ſit in conſcientiæ fundamento, & homo proculdubio non prævalebit, nec timere oportet vel tyrannorum minas, aut tendiculas carnaliter ſapientum, aut perditorum perfidiam, aut puſilaminitatem iudicis, aut auaritiam & inconſtantiam eorum qui quærunt, in omnibus quæ ſua ſunt, carnis, non quæ Ieſu Chriſti. Iſtud ipſum eſt vnicum & ſupremum Chriſtianæ Eccleſiæ firmamentum, quo potiſſimum nixi homines, ſtantes, rectique ſemper perdurare poſſunt. Motus noſtri hoc cardine firmiſſimo firmentur imprimis & moueantur, cũ charitate ſi neceſſe eſt, nihil inde periculi poſteà animarũ ſaluti creabitur. Fidẽ enim per Dei gratiam habemus: hæc eſt, quæ vincit mundum. Quàm vereor inte-

rea, ne res per ſe diuerſæ, argutiis tamen quorundam permixtim confuſæ apparatu ſuo non paucos decipiant; & veritas ſæpe peregrinis circumueſtita coloribus nõ tam veram quàm veriſimilem ſui ſpeciem repræſentet, vnde capti homines vmbram pro corpore, opinionem pro fide, & pro religione (abſit inuidia) nubem amplectantur. Sic aliquando arbores adeò euireſcunt laſciuientes in folia, vt fructus in floribus præfocetur & pereat. Quæ cauſa eſt ipſis plerumque arboribus vt ſuccidantur, perinde ac maledicente Chriſto Domino ficus continuò propter deficientem fructum exaruit, quantumuis viridante fronde, & vmbram faciente prætereuntes poſſet reficere. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.*

Det nobis Deus Optimus meliorem ſenſum quàm vt falſis rerum imaginibus deludamur, ac neſciamus à fucatis pura, à ſecularibus eccleſiaſtica, à temporalibus ſpiritualia, ab humanis diuina ſecernere. Et quis iure probabit homines tranſuerſo zelo agi, & alterum pro altero ſumentes promiſcuè extra oleas (quod aiunt) abripi ad litigioſas contentiones, quæ nihil quicquam aliud generant, pariunt, quàm infirmis animis ac procliuibus conſcientiæ ſuæ periculum, cæteris autem ſcandalum & famæ iniuriam? Subit hîc mihi S. Dionyſij Gallorum Apoſtoli epiſtola ad Demophilum digniſſima certè quam vtriuſq; ſummæ potentiæ in vnica Eccleſia aſſertores legant ſæpius ac relegant. Demophilus zelo ductus preſby-

terum malè habuerat quod impium quendam peccatorem & apoſtatam, ad pœnitentiam recepiſſet, eaque de re queſtus admonuerat Dionyſium. Sed is Demophilum non tulit ſine graui reprehenſione, ex qua non pigebit ſequẽtia referre. *Hoc ſanè,* inquit, *illud eſt quod impudenti illa et prolixa nimis epiſtola tua inculcas & replicas, quod ſcilicet non teipſum ſed Deum vltus es. Dic, oro te, per maliciam, eum qui ſummè bonus eſt, vindicas? abſit. Non enim habemus Pontificem qui compati non poſſit infirmitatibus noſtris; verùm et innocens & miſericors eſt. Non contendet neque clamabit, & ipſe eſt mitis, & ipſe propitiatio eſt pro peccatis noſtris. Non itaque ſuſcipiemus improbos conatus tuos, ne ſi millies quidem Phinees atque Heliam te dicas æmulari.*

Hæc enim minimè probauit Ieſus, cùm ea ſibi diſcipuli mitis ac benigni ſpiritus eatenus rudes ignarique ſuggererent. Deniq; & ſacratiſſimus noſter inſtitutor in manſuetudine docendos admonuit eos qui doctrinæ Dei aduerſarentur. Doceri quippe ignaros decet, nō ſupplicijs affici; ſicuti & cæcos non cruciamus, ſed manum ducimus. Subijcit paulò poſt Dionyſius viſionem Carpi vt ſequitur. *Cum aliquando,* ait, *in Cretam veniſſem, ſanctus Carpus me ſuſcepit hoſpitio, vir ob eximiam animi mundiciam ad Dei ſpeculationem vltra fermè omnes aptiſſimus. Denique nunquam ſancta myſteria celebrare cœpiſſet, niſi priùs inter eas preces (quæ antea cōſummantur) ſacra illi ac propitia viſio apparuiſſet. Hunc igitur (vt ipſe referebat) infidelis quiſpiam cōtriſtarat aliquando. Erat autem cauſa triſtitiæ,*

ſtitiæ, quod ille quendam ab Ecclſiæ fide ad impietatem erroris abduxerat. Cumq; eius celebritatis (quam vulgus Hilarias vocat) agerētur dies, qui debuerat pro vtriſq; benigniſſimè orare, atq; Dei ſaluatoris auxilio alterum ab errore conuertere, alterum bonitate ſuperare; nec deſiſtere quin eos ammoneret per omnem vitam, donec pœnitentiæ tempus ſupereſſet, et ita eos ad Dei cognitionem attrahere vt jam tandem & quæ illis erant ambigua et obſcura pateſcerent, & ab ijs quæ præter rationem audacter admiſerāt, reſipiſcere legitima ſæueritate cogerentur, neſcio quo pacto (cum intra ſemetipſum id antea paſſus non eſſet) tunc vehementem indignationem atque amaritudinem imbiberat animo. Sic itaque affectus obdormiuit, erat enim veſpera. Circa verò mediam noctem, quo tempore conſueuerat ipſe

ſemper apud ſe ad diuinos euigilare hymnos, expergiſcitur quidẽ et ſurgit, cum ſumnos parum quietos et crebro interruptos, nec abſq; perturbatione cœpiſſet, ſtans tamen ad diuinam precem & collocutionem non ſatis intentè, irreligiosè triſtabatur & ferebat grauiter, iniquum eſſe dicens, ſi impij homines & qui vias domini peruerterent rectas, adhuc viuerent. Et hæc dicens precabatur Deum, vt amborum vitam turbine aliquo & fulmine prorſus abrumperet. His dictis repente ſe vidiſſe referebat domum in qua conſiſtebat, primitus vehementer agitari, ac tum demum à ſummo culmine per medium diuidi; Et quendam ante ſe ingentis luminis rogum eumque (videbatur enim jam ſub diuo eſſe locus) è cœlo ad ſe vſque deferri, cœlúm verò ipſum patere apertum conſpiciebat, eiuſq; car-

dinj Jeſum inſidere innumeris illi humana ſpecie aſtantibus angelis. Et iſta quidem vidiſſe, cùm ſupernè aſpiceret, et ſe eſſe admiratum memorabat. Vbi verò ad inferiora deflexit obtutus Carpus, ipſum quoque ſolum inſtar vaſti ac tenebricoſi cuiuſdam profundi diſciſſum ſe vidiſſe ait; atque viros illos (quibus mala imprecatus fuerat) ante ſe ad os illius profundæ voraginis ſtare trementes ac miſerabiles, et qui ipſa pedum ſuorum labilitate jam mergendi viderentur. Porrò ab inferiori parte voraginis ſerpentes cernebat emergere qui circa illarum pedes ita inſtabiles ac nutantes, interdum quidem in globum colligi et ingrauari vnà atque pertrahere, interdum verò dentibus & caudis, ore, gutture, linguis ac toto corporis motu vim immenſi pauoris viderentur incutere, vt qui

modis omnibus deorſum illos præcipitare molirentur: fuiſſe autem & viros quoſdam in medio qui contra eos vnà cum ſerpentibus impetum facerent, exagitantes vnà & impellentes atq; ferientes. videbantur autem illi lapſui proximi, partim vi, partim etiam inuiti, partim etiam ſpõte; cùm à malo ſenſim & cogerentur ſimul & inducerentur. Referebat autem Carpus ſe (dum inferiora aſpiceret) fuiſſe delectatum atq; ſuperiora neglexiſſe: grauiter autem & indignè ferentem quòd illi necdum cecidiſſent: et cùm ſæpius eo deſiderij ferretur impetu, eoſque & ipſe niteretur impellere, ſemperque fruſtra moliretur, moleſtiſſimè tuliſſe et contra eos imprecatum eſſe. Cum ecce vix tandem reuocatis ad ſuperna luminibus, vidit cœlum ſicuti et prius aſpexerat Ieſumq; miſeratum quod fiebat, de cœ-

leſti illa ſede conſurgentem ad eos vſque deſcendere & porrigere clementiſſimam manum, angeloſq; vnà opem ferentes, aliunde alium, tenuiſſe viros, ac dixiſſe Carpo Ieſum ſtanti porrecta adhuc manu: Iam percute aduerſum, paratus enim ſum etiam iterum pro ſaluandis hominibus pati: gratum mihi iſtud eſt, dum non alij homines peccent. Tu autem inſpice, an tibi vtile ſit hanc iſtius profundi, & cum ſerpentibus manſionem Dei ac bonorum clementiumq; angelorum præferre conſortio? Hæc ſunt quæ ego audita, vera eſſe credo. Huc vſque S. Dionyſius fidei, quam etiamnum retinemus, primus Lutetiæ prædicator: in quibus recogitandis A. V. mentem tuam diutiùs hærere & immorari exopto: teq; ſimul vehementiſſimè rogo, vt ſingula aduertens non oſcitanter

illa conferas cum ijs quæ obtento pietatis velo ſæpe nimis vulgata ſunt, etiam libris ſcriptis, qui alienos à recta fide indurant magis & remorantur quàm emolliant & prouocent ad reditum in Eccleſiam Catholicam & Romanam; vnde quidam eorum queſti ſunt non fugere ſed fugari à nobis. Quemadmodum non puguit S. Paulum omnia facere vt omnibus prodeſſet, ſic & nos facere nõ pigeat; ſed & reuocari conemur eos in viã S. Auguſtini more, atq; ad nos cũ humanitate dilectioneque ſumma pelliciamus, quò in Eccleſiam recepti nobiſcum huius vitæ & futuræ conſortes æternæ efficiantur. Verè enim S. Hilarius noſtrâs: *Benedictiones Eccleſia ſola largitur, vitam æternam vnanimitas promeretur. Qui dixit enim*

æternæ vitæ viam pandens, diligite inuicem ſicut dilexi vos, non mendax eſt. Eſt enim ipſe veritas, via, vita dominus noſter Jeſus Chriſtus. Toto corde permotus & gemens hæc perſcripſi: ſed vt tandem his conqueſtionibus finis ſit, pro illis atque pro tota hac in Chriſti nomine concepta monitoria, veniam abs te & ab omnibus deprecor & oro ſupplex per eundem Chriſtum paſſum pro omnibus inuocãtibus eum in veritate, petoque per charitatem, *quæ patiens eſt, quæ benigna eſt, quæ non quærit quæ ſua ſunt, quæ non cogitat malum, quæ congaudet veritati*: vt nihil dictum à nobis per maleuolentiam, inuidiam, odium, aut per contemptum accipiatur, neue quòd cuipiam velimus detractum, quod illi debeatur. Quòd verò te blan-

dis appellationibus non ſumus demeriti aut honora titulorum aſſentatione, iniuriæ, quæſo, ne imputes aut nullæ in te (quem & colimus & orationibus noſtris ad altare cōmendatum habemus) beneuolentiæ: res id non exigebat, nec ſcimus obtrudere palpum. Veritatem præeuntem ſequebamur proximè; & cum ea, pacem reſtituendæ Academiæ Pariſienſis; dignitatem charæ patriæ incolumen, denique antiquam Eccleſiæ vniuerſalis & Gallicanæ tranquillitatem coniungendam meditabamur, concupiebamus, proſequebamur. Quæ qui nobiſcum non optauerit hîc & vbique terrarum florere ac vigere, neque votis Deum omnipotentem repetitiſque precibus exorare contenderit; is ſanè rem Chriſtianam

ſaluam

ſaluam nolle videbitur; & à diuinis præceptis, à veteri Eccleſiæ praxi, & ab inſigni cùm omnium S S. Patrum, tum maiorum noſtrorum pietate in Deum, charitate in homines, multùm abhorrebit & aberrabit. Cæterùm propitius ſit peccatis noſtris clemens & miſericors Deus, & ita nos amet, ſopitis diſſidentium animorum controuerſiis & ſimultatibus, publicis & priuatis redditoque Academiæ ſuo priſtinæ tranquillitatis ſtatu, idemque *Deus patientiæ & ſolatij det nobis ſapere in alterutrum ſecundùm Jeſum Chriſtum* (quomodo Apoſtolus ſcribebat ad Romanos) *vt vnanimes vno ore honorificemus Deum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Atque ſic tandem ad maiorem Dei gloriam & ſalutis no-

ſtræ omniumque operationem, permanẽtes in antiqua veræ ſemper fidei confeſſione atq; obſeruantia; in Regis celitus nobis à Deo dati obedientia, & ſereniſſ. eius matris Reginæ miti adminiſtratione omnia temperantis debita ſubmiſſione; in perfecta denique cum omnibus hominibus dilectione viuamus & moriamur digni; qui tanquam mitiſſimæ oues auidiſſimè paſtoris ſui vocibus obſecutæ, audire mereamur boni & æterni paſtoris Ieſu Chriſti, qui nos quotidie pretioſo corpore ſuo & ſanguine paſcit, ſuauiſſima illa euocantis nos ad ſe ex hac miſeriarum valle, verba: *Venite benedicti patris mei poſſidere regnum quod paratum eſt vobis.* Vale. An. reparatæ ſalutis, M.ƆIC. XIII. prid. Cal. Decemb.

PSALM. 116.
Veritas Domini manet in æternum.
ECCLESIAST. 17.
Et mandauit illis, vnicuique de proximo ſuo.
1. IOAN. 4.
Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.
S. Hiero. lib. 1. aduerſus Iouinian. ed. Pariſ. 1609. pag. 488.
Dicam aliquid, quod forſitan cum multorum offenſa dicturus ſum: ſed boni mihi non iraſcentur, quia eos peccati conſcientia non remordebit. Interdum hoc et Pontificum vitio accidit, qui non meliores ſed argutiores in clerum allegunt, & ſimpliciores

quoſq; atque innocentes inhabiles putant, vel affinibus et cognatis quaſi terrenæ militiæ officia largiuntur, ſiue diuitum obediunt iuſſioni: quodq; his peius eſt, illis clericatus donant gradum, quorum ſunt obſequijs deliniti.

LAVS D. V. Q. M.

Diſcite iuſtitiam moniti et non temnere diuos.

A01 1469754